This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE LIBRARY OF
COMTE ALFRED BOULAY DE LA MEURTHE

PURCHASED APRIL, 1927

LIBRAIRIE
ECCLESIASTIQUE
de TOULOUSE & TARANNE
33, R. Cassette, PARIS.

407

EPISTOLA
DOCTORIS SACRAE FACULTATIS PARISIENSIS

AD

DOCTORES FACULTATIS THEOLOGICAE FRIBURGENSIS

DE RESPONSO

AB IPSIS DATO PAROCHO CUIDAM CISRHENANO.

1798.

Fr 1328.276.25

HARVARD COLLEGE LIBRARY
FROM THE LIBRARY OF
COMTE ALFRED BOULAY DE LA MEURTHE
APRIL. 1927

Magnopere commovit me reſponſum a Doctoribus datum.

Quantus & qualis admirationis ſenſus, Doctores theologi, cum reſponſum veſtrum in manus incidit? quanto autem in rebus, ſententiisque major, cum vix paucas legeram paginas? quis enim inter Catholicos, (dolenter hoc dico potius quam Contumelioſe) quis inter Catholicos, ſi veritas, quæ impugnatur, unitas, quæ ſcinditur, charitas, quæ violatur cordi ſit & ſollicitudini, tum in Dominum parochum Ciſrhenanum, tum præcipue in voſmetipſos, mirum in modum non ſtupeſcat?

In dominum Parochum, quod ille anceps & dubius, quid ſibi tunc temporis in religionis negotio agendum eſſet, vobis ea de re quæſtiones propoſuerit, quas jam ante plures annos & plurimum iisdem terminis expreſſas, & quod maxime notandum eſt, omnibus notiſſimas, ſummo Pontifici propoſuerant præſules Gallicani.

In voſmetipſos & quidem vehementius, quod ad eadem quæſita, non eadem reſponſa, quid dico? quod tam pugnantia cum ſedis Apoſtolicæ reſponſis reſponſa dederitis, ita ut cauſa Eccleſiæ Conſtitutionalis in Gallia, quæ a pluribus annis ſolemni,

irreformabilique Eccleſiæ judicio damnata fuit, ſolemniter a vobis Friburgi vindicata defendatur.

Ego non inſenſo animo legi ſcriptum Doctorum.

Scriptum veſtrum, Doctores theologi, æquo animo legi, eoque accuratius ſententiarum omnium pondera examinavi, quod ea ſit argumentorum, de quibus diſputationem movetis, dignitas, ut alia fidem catholicam ſpectent, alia ad diſciplinam ab Eccleſia univerſali receptam pertineant, omnia autem fidei illuſtrandæ ac tuendæ, *ſi accurata manu res fuiſſet tractata*, inſervire debuiſſent.

Itaque, quid ſentiat vir theologus, cui ſuprema hæc eſſe debet lex ac regula, ut fidei placita, non niſi ſcripturæ & traditionis autoritate probet ac confirmet, accipiatis, quæſo, & quidem placide ſedateque audiatis. Non temere loquar: bonis animis numquam moleſta eſſe debet veritas: non vincimur, Doctores theologi, ſed inſtruimur quando offeruntur nobis meliora. Ego autem ante oculos veſtros unicum principium proponam, ſcilicet, ſupremam hanc, ac ex natura ſua plane decretoriam, quam Catholici omnes in Eccleſia Chriſti agnoſcunt, de rebus fidei & morum pronuntiandi poteſtatem; ex qua una deciduntur, definiunturque in tam multiplici diſputationum varietate ea omnia, quæ de quibuscunque fidei aut morum cauſis controvertuntur, ita ut omnes uno quaſi ictu errores ſimul confodiantur.

Ne quid autem temporis mihi fruſtra pereat, ad propoſitum ſtatim venio.

Decrevit ſancta ſedes Apoſtolica.

I.

Reſponſa Doctorum cum ſedis apoſtolicæ decretis comparata atque invicem collata.

Illos eſſe pſeudo- Epiſcopos, pſeudo- paſtores, qui aliunde, quam per oſtium ad ovile accedentes, nihil quærunt aliud, niſi ut furentur, mactent & perdant. Part. 1. coll. br. p. 13.

Illos eſſe lupos rapaces, miniſtris legitimis ſubrogatos. Part. 1. p. 132.

Illos eſſe intruſos. Part. 2. p. 27.

Omnes fere Galliarum eccleſias brevi dierum ſpatio ab intruſis fuiſſe occupatas. Part. 2. p. 11.

II.

De Epiſcopis, nefarias eorumdem conſecrationes fuiſſe & eſſe omnino illicitas, illegitimas, ſacri-

Reſpondiſtis ad quæſita Parochi.

I.

Epiſcopos & ſacerdotes conſtitutionales in Gallia, qui Eccleſias Cathedrales vel parochiales occupant, legitimis (& non priſtinis) Epiſcopis paſtoribusque ob denegatum juramentum exilio mulctatis, eſſe agnoſcendos tanquam veros legitimosque paſtores animarum.

II.

Nec ipſis deeſſe legitimam miſſionem, nihilque obſtare, quominus veri nominis atque legitimi

paſto-

Decreta ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

legas & factas contra ſanctorum canonum ſanctiones ac proinde eosdem temere, nulloque jure electos, omni eccleſiaſtica & ſpirituali jurisdictione pro animarum regimine carere. Part. 1. p. 133.

De Parochis intruſis. Eos perperam, nulloque jure electos alioque ſimili modo eligendos ſpirituali jurisdictione carere . . . . eos utpote nulliter inſtitutos a ſacerdotali miniſterio eſſe & fore ſuſpenſos. Part. 1. p. 136.

Omnes Catholicos ab intruſorum communicatione deterret hiſce verbis. Invaſores omnes, ſive archiepiſcopi ſive parochi appellentur, ita devitate ut nihil cum illis ſit vobis commune, præſertim in divinis, auſcultantes aſſidue legitimorum voces

Reſponſa doctorum Friburgenſium.

paſtores ſint, non ſolum licere, ſed expedire etiam, immo obligari in francia chriſtianos catholicos, ipſorum adeſſe concionibus, nec non miſſæ ſacrificio.

Decreta ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

paſtorum, qui vivunt adhuc, quique vobis canonice præficientur in poſterum. Part. 1. p. 141.

Reſpondit ſummus Pontifex. Non licere fidelibus, ſive diebus ferialibus ſive dominicis aliisque feſtis de præcepto diebus, miſſæ aſſiſtere celebratæ a parocho vel ſimplici presbytero, qui civicum ſacramentum, emiſerint. Part. 2. p. 162.

III.

Decrevit ſancta ſedes apoſtolica: illos certe (intruſos), qualescunque eſſent, nullam habere ligandi & ſolvendi poteſtatem, utpote legitima miſſione carentes. Part. 1. p. 60.

Ab intruſis abeſt poteſtas & jurisdictio, & quicunque ab eis perficiuntur actus, irriti ſunt nul-

Reſponſa doctorum Friburgenſium.

III.

Non eſſe dubitandum, fas eſſe, ab ipſis pœnitentiæ ſacramentum extra caſum neceſſitatis recipere, ſacram cænam vel viaticum ab eis exigere vel ſuſcipere, teneri parentes, ut curent proles recens natas a dictis ſacerdotibus ſacro baptismatis lavacro ablui.

liusque valoris. Part. 2. p. 236.

De ſacra cœna & viatico reſpondit ſummus pontifex, non licere nec petere nec recipere. Part. 2. p. 163.

De baptiſmo. Non licere excepto tamen caſu extremæ neceſſitatis, in quo non adeſſet alius valens baptizare. Part. 2. p. 163.

IV.

Sic reſpondit ſummus Pontifex. Quoniam intruſus minime ſit parochus legitimus, neque ullum habet titulum, ſive verum ſive coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris eſt: fideles in Galliis debent matrimonio jungi a ſuo parocho legitimo vel alio ſacerdote de ejus vel ordinarii licentia. Part. 1. p. 205.

IV.

Fas eſſe coram eis matrimonium contrahere, adeo ut quando contractus matrimonialis ſecundum leges a Republica initur a Catholicis, ſi poſtea acceſſerit ſacerdotalis benedicto, a dictis ſacerdotibus impertita, ſacramenti etiam ratio ita accedat, ut nihil ſit quod ultra requiratur.

Priusquam ea, quæ de veſtris reſponſis dicenda mihi videntur, fuſius evolvam, valde mirari ſubit, Doctores theologi, quod, cum ſedis apoſtolicæ reverendam omnibus chriſtianis majeſtatem, vos obſequio colatis, cumque, ut obedientiæ filii, vos profiteamini, præcipuas ſummi pontificis in fidei queſtionibus eſſe partes, ejusque decretis, quæ ad omnes & ſingulas eccleſias pertinent, debitam eſſe ab omnibus non ſolum reverentiam ſummam, ſed etiam proviſoriam obedientiam, ſtatim atque lata ſunt; miror, inquam, quod hæc tam pugnantia cum ſedis apoſtolicæ decretis ſcribere tentaſtis.

Nonne apud omnes in confeſſo eſt, tanti ponderis ac momenti eſſe ſummi Pontificis decreta in cauſis fidei & morum, ut I. Ipſis proviſorie ſit obſequendum, *ſaltem*, ut ait Gerſon, *ad non dogmatizandum contrarium*, quamdiu eccleſia non reclamat, ut II. quisque fidelis ſincerum mentis aſſenſum ſub ſalutis diſpendio ipſis præbere teneatur, quando illa acceptantur ab Eccleſia. Hæc ſunt theologorum principia in præſtanda romani pontificis judicio obedientia: hæc eſt vera erga ſanctam ſedem obſervantia, quam ſub fine præcedentis ſæculi, illuſtriſſimus Cameracenſis archiepiſcopus, toto Gallicanorum antiſtitum cœtu applaudente, peramanter exhibuit: non enim vos latet, quod ſtatim atque accepiſſet Fenelonius, ſuum opus, cui gallice titulus, *explication des maximes des ſaints*, ab Innocentio XII. pontifice maximo fuiſſe damnatum, ipſe ſine ulla cunctatione Mandatum in lucem ediderit, quo, ad teſtificandam ſuam erga ſedem apoſtolicam proniſſi-

mam obedientiam, judicio apoſtolico plenis manibus ſubſcribit, libellum ſuum revocat, ſimpliciterque & abſolute illum damnat; *abſit*, inquit Fenelonius in præfato mandato (hæc ſunt verba aurea) *abſit, ut unquam noſtri mentio fiat, niſi forte ut meminerint fideles, paſtorem, infima gregis ove, ſe docíliorem præbendam duxiſſe, nullamque obedientiæ limitem fuiſſe poſitum.*

Attendite, quæſo, Doctores theologi: pronum ac docilem Romano Pontifici ſtatim ſe præbet antiſtes, præcipuum Galliarum decus & ornamentum; publica obedientiæ dat ſpecimina, ea ſane diligentia, qua major deſiderari nequit; quin immo eamdem docilitatem apud omnes fideles ſibi ſubjectos urget ipſe, nihilque intentatum relinquit, ut promoveatur illa erga ſedem apoſtolicam obedientiæ ſimplicitas, *in qua præſtanda ipſe Deo miſericorditer adjuvante ad extremum usque ſpiritum fidelibus exemplo ſe futurum eſſe, ſolemniter profitetur.*

Quantum autem veſtra, Doctores theologi, reſponſa prorſus abhorreant, tum a fide catholica, cujus in obſequium omnis captivandus eſt intellectus, tum a diſciplina, ab univerſali eccleſia recepta, in qua quidem præcipienda ſicut & circa fidem errare non poteſt eccleſia, utpote quæ præſidem & aſſiſtentem ſibi ſpiritum ſanctum habeat; oſtendere promiſi: litem datam ego liberabo, promiſſaque exolvam, poſtquam expoſuero, quid ſit conſilii mei inſtitutique ratio: ipſa autem in duplici propoſitione continetur.

Expositur hujus epiſtolæ ratio & analyſis.

Scinditur in duas partes; in priori oſtenditur, neminem poſſe Eccleſiæ conſtitutionalis cauſam hodie defendere, quin ſpernat auctoritatem eccleſiæ, qua Cauſa hæc damnatur.

Quicumque hodie, Eccleſiæ conſtitutionalis cauſam defendunt, illi ſupremam Eccleſiæ autoritatem ſpernunt, patronique fiunt eorum, qui erecto rebellionis ſigno ab Eccleſia Chriſti diſcedunt. Cauſa enim finita eſt. Prima propoſitio.

In altera parte confutabuntur argumenta quæ a Doctoribus in præſidium cauſæ conſtitutionalis adducuntur.

Alterum argumentum, Doctores theologi, propter abundantiam juris, non autem quod neceſſarium crediderim, proponam; quo demonſtrabo, vana caducaque eſſe, & centies refutata, nec ad quæſtionem pertinere ea omnia, quæ a vobis in præſidium Eccleſiæ conſtitutionalis adducuntur. Secunda Propoſitio.

Deinde vos enixis precibus oro atque obteſtor, ut famæ veſtræ, & quod multo præſtantius eſt, ſaluti, melius conſulentes, reſponſum veſtrum ad Parochum Cisrhenanum publica retractatione ejuretis.

PARS PRIMA.

Ratio & ordo primæ partis. Cauſam Chriſti forti animo aggrediamur, Eccleſiæque ſuæ, amputata omni verborum luxuria, preſſius ac nitidius autoritatem vindicemus. Eccleſia diſperſa, in ſuis fidei & morum decretis, æque eſt infallibilis, perinde ac coacta in conciliis generalibus, tenenturque fideles, æque huic judicio ſub ſalutis diſpendio aſſentiri; jam vero tali judicio Eccleſiæ diſperſæ proſcripta, damnataque fuit cauſa Eccleſiæ conſtitutionalis: Concludendum eſt igitur cauſam hanc irreformabili judicio finitam eſſe, nullumque Catholicum poſſe illam hodie defendere, quin ſupremam infallibilemque Eccleſiæ in rebus fidei pronuntiandi poteſtatem audacter contemnat.

I. Eccleſia diſperſa, non magis errare poteſt in ſuis fidei & morum decretis, quam collecta in conciliis generalibus.

Eccleſia etenim diſperſa, quemadmodum & in conciliis congregata, ipſa eſt *columna & firmamentum veritatis, adverſus quam portæ inferi numquam prævalebunt*, ipſa eſt ſupremus controverſiarum judex, ipſa dux & magiſtra omnium hominum in

cau-

cauſis fidei & morum, adeo ut, quicumque eam audire detrectaverit, ipſomet Chriſto pronuntiante, *ſicut ethnicus & publicanus* habendus ſit: ipſa ſuam hanc ſupremam, ac plane decretoriam autoritatem, a Chriſto conceſſam, variis modis exercet, quemadmodum uſu perpetuo ac conſtanti praxi omni ævo exercuit: modo enim dijudicat & definit coacta in conciliis generalibus, modo etiam diſperſa: quocunque autem modo definiat, ſententialiter definita res eſt, cauſa finita eſt.

Hæc ſunt fundamentalia de auctoritate Eccleſiæ in dijudicandis fidei & morum cauſis principia; quoniam autem a plerisque theologis contra hæreticos de his principiis aſtruendis copioſe & accurate diſputatum eſt, breviter dicam.

I.

Privilegium inerrantiæ univerſim eccleſiæ a Chriſto fuit promiſſum.

Tenent & affirmant omnes catholici, Privilegium inerrantiæ a Chriſto univerſim Eccleſiæ fuiſſe promiſſum: *Ecce ego*, ait Chriſtus 1) *vobiſcum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſum eam*; 2) Eccleſia univerſim ſumpta ſupra immotam hanc petram ædificata eſt, contra quam inferi portæ numquam ſunt prævaliturae: prævalerent autem, ſi a fide deficere aliquando poſſet Eccleſia.

II.

Inerrantiæ privilegium, quatenus conſiſtit in veritate docenda, reſidet in Epiſcopis.

Tenent & affirmant omnes catholici, ſingulare hoc inerrantiæ privilegium vel hanc infallibilitatem, quatenus conſiſtit non in recipienda, ſed docenda veritate, ſtare, reſidere in Epiſcopis ſucceſſoribus Apoſtolorum, quibus promiſit Chriſtus ſe adfuturum eſſe omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi; eam autem vim habet perpetua Chriſti & Spiritus ſancti aſſiſtentia, ut impoſſibile ſit, vi promiſſionum divinarum, majorem Epiſcoporum partem in fide errare, ac in falſa doctrina populis tradenda conſpirare poſſe.

III.

Fidem ſuam teſtari poſſunt Epiſcopi, aut per unanimem conſenſum in Eccleſia diſperſa, aut per judicium in conciliis generalibus expreſſum: quocumque modo ſe illa conſenſio declaraverit, res eſt infallibiliter definita.

Tenent, & affirmant omnes Catholici, Epiſcopos, ſucceſſores apoſtolorum, proindeque in promiſſionibus Chriſti partem habentes, ſuam fidem teſtari poſſe, id eſt, manifeſtam facere aut per unanimem conſenſum in Eccleſia diſperſa, aut per judicium in conciliis generalibus expreſſum: utroque modo eorum auctoritas ejusdem eſt ponderis, vim habet æqualem, æque eſt ſuprema ac infallibilis: in priori modo quia huic corpori ſic exterius diſperſo, verum ope ſpiritus ſancti uno atque conjuncto, annexum eſt inerrantiæ privilegium: in poſteriori modo, quia cum corpus illud ſit indefectibile & infallibile, concilium, quod eſt totius corporis repræſentatio, eodem inerrantiæ gaudet privilegio, & cum apoſtolis pronuntiare poteſt, *vi-*

ſum

ſum eſt ſpiritui ſancto & nobis. Quando igitur Ecclesia diſperſa vel approbando aliquam concilii particularis definitionem, vel acceptando judicium ſanctæ ſedis apoſtolicæ, controverſiam de fide aliquam definit, tunc per unanimem conſenſum fidem ſuam teſtatur, manifeſtamque facit: tunc verum & irreformabile fit totius Eccleſiæ judicium.

Sic juxta conſtantem Eccleſiæ praxim a temporibus apoſtolicis ad nos usque ſemper retentam, controverſias de fide ſæpiſſime definivit Eccleſia. Quot enim hæretici ante primum Concilium Nicenum damnati fuerunt ab eccleſia diſperſa: Gnoſtici, Marcionitæ, Valentiniani, Montaniſtæ, Novatiani, Sabelliani, Samoſatiani, Manichæi, innumerique alii? Conſtat autem, hæreſes illas confoſſas fuiſſe ab autoritate infallibili, quæ ſola regulam fidei immobilem conſtituere poteſt: certe non alia erat auctoritas Eccleſiæ diſperſæ: conſtat præterea, quod tempore S. Auguſtini nondum ab ullo œcumenico concilio damnatus fuerat Pelagius: verum rem definierat ſancta ſedes apoſtolica, judiciumque ſedis acceptatum fuerat ab Eccleſia diſperſa: quid autem pelagianis renitentibus reponebat S. Auguſtinus, nullum amplius diſputationis eſſe locum, quia res irreformabili totius Eccleſiæ judicio definita erat: 1) *Ex ſede apoſtolica*, inquit, *reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error:* hinc idem Auguſtinus ſcribit ad Bonifacium 2) *aut vero congregatione Synodi opus erit, ut aperta perniciei*

1) *Serm. 2. de verb. apoſt.* 2) *Lib. 4. cap. ult.*

nities damnetur, quaſi nulla hæreſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit: cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras devitandæ innoteſcere potuerunt: hinc merito concludit Boſſuetius 3) *Ergone ſingulares Eccleſiæ, a quibus rejectæ ſectæ, ineluctabili auctoritate gaudebant? minime: ſed profecto ſic habet, ſemel conſtituto hoc certo dogmate, vim illam ultimam & ineluctabilem unitate & conſenſione conſtare, id quoque valere, quocumque modo ſe illa conſenſio declaraverit, ſive concilia congregentur, ſive non congregentur.*

Itaque ſi ad recentiora tempora progrediamur, quot hæreſes, ab irreformabili Eccleſiæ diſperſæ judicio damnatæ fuerunt? Nonne Baii doctrina ſic confoſſa fuit & attrita? nonne verum, canonicum & irretractabile totius Eccleſiæ eſt, quod de Janſenii ſenſu damnando tulit Innocentius X.: Cauſa ergò finita fuit per reſcripta apoſtolica, ab Eccleſia acceptata?

Utinam ad finem quoque ſuum perductus fuiſſet error! Jam non in acerbiſſimo dolore, a pluribus annis jaceret Eccleſia Gallicana: ipſius facies non deturpata foret; non miſere ſcinderentur Populi Chriſtiani, non ſuis legitimis Epiſcopis, Paſtoribusque orbatæ forent Eccleſiæ Cathedrales & Parochiales;

3) *Def. 4. propt. cl. galli p. 3. lib. 9.*

las; quid dico orbatæ? ah utinam orbatæ tantummodo? non ab intruſis & Schiſmaticis occuparentur, qui veſtem Chriſti inconſutilem, quantum in ipſis eſt, lacerant ac nefarie divellunt: verum in hac & tanta rerum omnium perturbatione quid mirum? excuſſo ſemel auctoritatis Eccleſiæ jugo, totius religionis fundamenta convellantur neceſſum eſt; nihil amplius fixum atque ratum: laica poteſtas Eccleſiæ jura ſacratiſſima invadit, invaſionem fovent ac tuentur nefarii absque miſſione Miniſtri: hinc omnia in perniciem, excidiumque animarum ad uniuscujuslibet arbitrium libidinemque feruntur.

Ex his omnibus ſatis liquet, Eccleſiam diſperſam, in definiendis fidei aut morum controverſiis, privilegio inerrantiæ, non minus gaudere, quam Eccleſiam in conciliis generalibus collectam.

Vero & irreformabili Eccleſiæ judicio damnata eſt Eccleſiæ conſtitutionalis cauſa.

II. Jam vero tali judicio Eccleſiæ proſcripta damnataque fuit cauſa Eccleſiæ conſtitutionalis.

Enimvero de fide catholica eſt, ibi eſſe verum & irreformabile Eccleſiæ judicium, quando ſummus Pontifex rem definit, ejusque decretum ab Eccleſia acceptatur: porro conſtat ſummum Pontificem cauſam Eccleſiæ conſtitutionalis definiiſſe, ejusque decretum ab Eccleſia fuiſſe acceptatum: cauſa igitur hodie finita eſt.

Quoniam autem primum, quod in anteceſſum ponimus, principium a nemine impugnetur, neque revera poſſit impugnari, illud confirmare ſupervacaneum eſſet. Quapropter ad alteram argumenti partem progrediamur, quæ tota ſtat in factis publicis, momentoſis, quorum locupletiſſimi certiſſimique teſtes ſunt, omnes Catholici orbis Eccleſiæ.

Dico igitur I. a ſummo Pontifice Pio VI. proſcriptam damnatamque fuiſſe cauſam Eccleſiæ Conſtitutionalis: in manibus omnium ſunt, Doctores theologi, Bullæ datæ a ſancta ſede die 13. Aprilis anno 1791, & die 19. Martii anni 1792, bullæ canonicæ, ſolemnes, dogmaticæ, ad ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos clerum & populum regni Galliarum directæ: perlegantur ipſæ, & legenti cuilibet patebit, *damnatam eſſe novam cleri conſtitutionem ex noſtro & apoſtolicæ ſedis judicio, ipſam ex principiis coaleſcere ab hæreſi profectis, adeoque in pluribus decretis hæreticam eſſe, Catholico dogmati adverſantem: in aliis vero ſacrilegam, ſchiſmaticam, jura primatus & Eccleſiæ evertentem, diſciplinæ tum veteri tum novæ contrariam, non alio denique conſilio excogitatam & vulgatam, niſi ad catholicam religionem prorſus abolendam* 1); *errorum omnium venenatum fontem & originem* 2), *Catholicæque Gallicanæ Eccleſiæ mæroris præcipuam Cauſam.* Perlegantur ipſæ & legenti cuilibet patebit, a ſummo Pontifice declaratum fuiſſe, *electiones prædicto-*

1) *Brev. ap.* 13. *April.* 1791. *N.* 11.
2) *N.* 20.

dictorum 3) . . . *in Epiſcopos* . . . *illegitimas, ſacrilegas & prorſus nullas fuiſſe & eſſe, nefarias eorumdem conſecrationes fuiſſe & eſſe omnino illicitas, illegitimas, ſacrilegas, & factas contra ſacrorum canonum ſanctiones* 4), *eosdem temere nulloque jure electos omni Eccleſiaſtica & Spirituali Jurisdictione pro animarum regimine carere* 5).

Dico 2. Decretum hoc apoſtolicum ab omnibus Eccleſiæ Gallicanæ Præſulibus expreſſe acceptum fuiſſe, executionique ab omnibus demandatum: teſtes ſunt & præclara illa præſulum, ad populos documenta annis 1791 & 1792, in quibus decreto ſedis Apoſtolicæ judicialiter ſubſcribunt; & ipſorum conſtans a primis ſchiſmatis diebus agendi ratio, toti orbi Catholico plane reverenda: hinc merito ait ſummus Pontifex 6); *cum ab Epiſcopis centum triginta & uno ipſius regni, quatuor dumtaxat diſſiderent, cumque tam ingenti Epiſcoporum numero, Capitulorum etiam multitudo & Parochorum ſive paſtorum ſecundi ordinis pars major accederet; hujusmodi ſane expoſitio concordi animorum conſenſione ſuſcepta, totius Eccleſiæ Gallicanæ doctrina haberetur & eſſet* . . . . *Ex quo factum eſt, ut tota Eccleſia fatente & conſentiente haberi deberent juramenta civica, tanquam perjuria & ſacrilegia* 7).

B 2 Dico

3) N. 21.

4) N, 22.

5) *Ibid.*

6) *Brev. ap.* 13. *April.* 1791. N. 6.

7) *Ibid.* 8.

Dico 3. ab omnibus Eccleſiis orbis catholici nata & acceptata fuiſſe ſedis Apoſtolicæ decreta, neque ex ulla parte auditam fuiſſe reclamationem, quam ex voce conſtitutionalium Pſeudoepiſcoporum.

Statim atque primas litteras commonitorias die 13. Aprilis 1791 edidit ſummus Pontifex, juſſit, ut in Galliæ regnum ad omnes Archiepiſcopos mitterentur; juſſit etiam, ut typis romanis editæ fuerint, ita ut per omnes etiam orbis Catholici partes circumferrentur; idque expreſſiſſimis verbis declarat ſummus Pontifex in ſuis poſtremis litteris monitoriis 19. Martii 1792 8), *qua enim bona fide*, inquit, *dubitari poteſt de noſtrarum litterarum veritate, quæ manu noſtra obſignata, ad Metropolitanos Galliæ miſſa ſunt, quæque juſſu noſtro typis romanis edita, non per regnum Galliæ modo, ſed per omnes etiam orbis catholici partes circumlata ſunt, ea prorſus ratione, qua de hiſce noſtris litteris fiet*: hinc a præfato tempore 19. Martii 1792, omnibus affirmare non verebatur ſummus Pontifiex, a nullo orbis catholici Epiſcopo ignoratas fuiſſe ſuas primas litteras, neque poſtremas a quoquam fore ignorandas, hæc ſunt enim verba 9): *quæ quidem monitiones quales fuerint, nec vos latet, nec ullus Catholici orbis ignorat Epiſcopus.*

Præterea quo pacto ab ulla orbis catholici Eccleſia ignorari potuiſſent ſedis apoſtolicæ decreta: age-

8) *Litt. Ap.* 19. *Mart.* 1792, *N.* 16.
9) *Ibid. N.* 1.

agebatur profecto de cauſa majori; resque tanti erat ponderis ac momenti, ſive ex natura ſua, ſive ex ſuis peſſimis promptiſſimisque effectibus ſpectetur, ut, quod erat præcipuus Eccleſiæ Gallicanæ mæror, longe lateque per orbem univerſum breviſſimo tempore fuerit diffuſum: accedit ad hæc, legitimorum Galliæ Epiſcoporum paſtorumque violenta diſperſio per omnes regiones, plagasque terrarum, quæ quidem perpetuo erit argumento, a nulla gente nullaque Eccleſia ignorata fuiſſe ſedis apoſtolicæ decreta, neque honorificam exilii cauſam, quo mulctati fuere legitimi galliarum præſules & paſtores.

Verum non modo ab omnibus Eccleſiis nota fuere ſedis apoſtolicæ decreta, ſed etiam acceptata: hinc contra Eccleſiam conſtitutionalem exurgit irreformabile totius Eccleſiæ catholicæ judicium: acceptationem hanc merito deducere juvat tum ex communione Eccleſiaſtica, quam omnes Eccleſiæ catholicæ cum Gallicanis Præſulibus, clero populoque retinent, quamque conſtanter Epiſcopis conſtitutionalibus denegant, tum ex benigno hoſpitio clero Galliæ ab omnibus Eccleſiis præſtito, tum ex illa fraternitate concordique animorum conſenſione, quæ viget inter Catholicum Europæ Clerum & Præſules præsbiteroſque Gallos, e Patria ſua extorres, quos ipſe tanquam veræ fidei confeſſores, Eccleſiæque Chriſti defenſores habet & veneratur, quos ipſe ubique ad ſacrum exercendum miniſterium vocat & gratanter requirit, quos demum in ſuis ærumnis allevat, beatosque reputat talia pati pro nomine Chriſti.

 Quai

Quam ob rem vos omnes appello, Epiſcopi paſtoresque conſtitutionales:

Quando univerſæ orbis catholici Eccleſiæ communionem Eccleſiaſticam vinculis tam ſtrictiſſimis retinent cum legitimis Galliarum Epiſcopis, quorum ſedes ſacrilego ac nefario auſu vos occupatis, veſtramque communionem denegant: nonne luce meridiana clarius eſt, cauſam veſtram ab omnibus Eccleſiis eſſe reprobatam & damnatam; decretaque apoſtolica, quibus hæreſis veſtra ſchiſmaque profligantur, ab omnibus orbis catholici Præſulibus eſſe acceptata.

His igitur conſtitutis, quid opus eſſet adjicere, ne ullam quidem in univerſa Eccleſia catholica adverſus ſanctæ ſedis decretum auditam fuiſſe reclamationem; niſi a pſeudo - Epiſcopis paſtoribusque Conſtitutionalibus, hocce decreto velut ictu fulmineo attritis.

Nemo autem neſcit, quod ex non reclamantibus eccleſiis adverſus decretum ſanctæ ſedis dogmaticum, maxime in cauſis majoribus, ab ipſis Eccleſiis cognitum, merito concludatur tacitus earumdem Eccleſiarum conſenſus: fieri enim non poteſt, Deo ita dirigente & aſſiſtente, ut Eccleſia univerſa errorem cognitum, etiam ſuo ſilentio approbet: Eccleſia, ut fidei cuſtos ac controverſiarum judex ex officio & vi promiſſionum Chriſti tenetur, adverſus errorem inſurgere, qui publico decreto fidelibus ad credendum proponeretur: *Error quippe cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cum non*

ſ 4 de-

defenditur, opprimitur: Eccleſia Chriſti ea, quæ ſunt contra fidem vel bonos mores non approbat, nec tacet, nec facit: hæc ſunt ſolemnia & vere apoſtolica majorum noſtrorum effata: hinc efficitur, quod ex ordinatione Chriſti, & vi divinarum promiſſionum, certa & infallibilis exurgat Eccleſiæ totius definitio, quando in cauſis majoribus, conſtitutio aliqua dogmatica fidelibus ad credendum proponitur, ſi ejuſmodi conſtitutio ab Eccleſia ſit acceptata.

Demonſtratum ergo manet, irreformabili totius Eccleſiæ judicio proſcriptam damnatamque fuiſſe cauſam Eccleſiæ conſtitutionalis.

Quid autem opponitis, Doctores theologi?

Summum Pontificem ſuum mutaviſſe conſilium de cauſa Eccleſiæ conſtitutionalis, quoniam mutatæ fuerunt in ſtatu Galliarum circumſtantiæ, novaque Reſpublica conſtituta fuit.

Principio a vobis expoſtulandum eſt, quibus argumentis id efficitis? nullum enim a vobis allatum eſt probationis genus: ne exiſtimetis tamen irreformabilia Eccleſiæ judicia vanis obtrectatorum conatibus ſic in irritum cadere poſſe.

Deinde, quid eſt, viri theologi, dogmaticum ſanctæ ſedis apoſtolicæ judicium? hac definitione conſtituta, illico corruet primum momentum, in quo maximum cauſæ veſtræ præſidium collocatis.

 Ju-

Judicium dogmaticum ſanctæ ſedis apoſtolicæ, ex Conſenſu omnium theologorum, judicium eſt, quo declaratur fides Eccleſiæ: ſedes enim apoſtolica, quemadmodum Epiſcopi, teſtes ſunt duntaxat, cuſtodes & judices, non autem auctores & parentes fidei, quæ in verbo Dei ſive ſcripto ſive tradito continetur: judicium ergo dogmaticum ſanctæ ſedis ab Epiſcopis per orbem diſperſis acceptatum, judicium eſt unitate & conſenſione conſtans, quo declaratur omnibus fidelibus Eccleſiæ fides, Apoſtolorumque Doctrina.

Jam vero declaratio fidei Eccleſiæ, & judicium a ſancta ſede prolatum, quo, conſentientibus omnibus Eccleſiis, traditur ipſa traditionis vis, conſanguinitasque Doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum, poteſtne mutari? poteſtne ex rerum terrenarum mutatione & perturbatione religatum pendere? á toto cælo differunt res divinæ, resque terrenæ: de rebus terrenis non judicat Eccleſia, ipſius poteſtas in cauſis fidei & morum cognoſcendis limitatur.

Urgeo autem & apertam a vobis reſponſionem efflagito: ſi ſummus Pontifex de cauſa Eccleſiæ conſtitutionalis ſuum mutavit conſilium, ſi a bullarum ſuarum doctrina deſtitit, (ut vos abque ulla probatione affirmatis,) ergo ſummus Pontifex ſincerum Eccleſiæ fidem amplius non tenet, ergo a doctrina, unitate & conſenſione omnium Epiſcoporum firmata deflexit: quis umquam credat Portentum hoc, quo nullum majus foret, Romanum Pontificem, divino numine Petri Succeſſorem conſtitutum, Epiſcopalis Collegii totiusque catholicæ Communionis principem,

cipem, a vera doctrina diſceſſiſſe, cauſamque Eccleſiæ Conſtitutionalis fuiſſe amplexatum?

Placet etiam vos confutare juxta peſſima, quæ a conſtitutionalibus presbiteris afferuntur principia: fingamus enim tanquam rem poſſibilem, mutari poſſe judicium dogmaticum ſanctæ ſedis, omnium Eccleſiarum unitate firmatum, ſummumque Pontificem, pro mutata civilis regiminis Galliarum forma, ſuum quoque de Eccleſiæ Conſtitutionalis cauſa judicium potuiſſe mutare, etiam in hac hypotheſi vos cauſa cadetis.

Nonne apud omnes certum & exploratum eſt, ſummum Pontificem, nedum conſilia ſua de Eccleſia conſtitutionali mutaverit pro mutata in Galliis civilis regiminis forma, in ſuis conſiliis roboratum fuiſſe, longoque tempore poſt mutatas circumſtantias, idem judicium tuliſſe de Epiſcopis, parochisque conſtitutionalibus; quis enim neſciat ſummum Pontificem a primis Schiſmatis diebus de anno in annum ſucceſſive, expreſſis litteris extraordinarias facultates legitimis Galliarum Epiſcopis conceſſiſſe, prorogaviſſe, quatenus ipſi oves ſibi creditas non ſolum facilius expeditiusque per ſe aut per alios regant, ſed ut etiam hocce modo greges a ſe pendentes ab Eccleſia conſtitutionali arceant aut revocent; maxime autem notandum eſt, has extraordinarias facultates a ſummo Pontifice conceſſas a temporibus Schiſmatis, ſemper prorogatas, hodiedum eſſe datas die 10. Decembris 1795 non ad aliquod definitum tempus, ſed *quoad usque ab eadem ſanctitate ſua* revocentur. Ad hæc accedit breve apoſtoli-

cum Pii VI. S. P. ad Epiſcopum conſtitutionalem dictum *Du mont blanc*, poſtquam ille ſuam hæreſim ſchiſmaque ejuraviſſet: breve hoc ex integro exaratum ad calcem epiſtolæ invenietis. Manet igitur certum & inconcuſſum, ſummum Pontificem, conſilium ſuum de Eccleſia conſtitutionali, pro mutatis in Gallia circumſtantiis, non mutaviſſe.

Longe fuſius iſta proſequi facile eſſet, verum hæc ſatis eſſe decrevi ad errorem refellendum, qui nulla prorſus ratione nitatur.

Nec minus iniqua eſt poſtrema criminatio veſtra, cujus hæc ſumma eſt: ſummum Pontificem de cauſa Eccleſiæ conſtitutionalis benigne ſentire propterea, quod, contentus terruiſſe minis, Excommunicationis ſententiam non tulit.

Jam oſtendimus, Doctores theologi, dogmaticum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ decretum contra cauſam conſtitutionalis Eccleſiæ, nedum vim ſuam amiſerit, ſummi Pontificis agendi ratione fuiſſe etiam roboratum, ſi ita loqui fas eſt.

Jam oſtendimus ſummum Pontificem nedum de cauſa conſtitutionalis Eccleſiæ ſervaverit ſilentium, frequentiſſime a tempore, quo ſuæ bullæ latæ fuerunt, ſcripſiſſe, locutum fuiſſe, idem judicium de eadem cauſa protuliſſe.

Nunc probandum mihi ſupereſt, quod, quamvis ſummus Pontifex excommunicationis pœnam non tulerit, non inde ſequatur, illum cum *Eccleſia conſtitutionali* pacem concordiamque iniiſſe.

I. Cer-

I. Certum eſt, ſummum Pontificem declaraviſſe, Epiſcopos Parochosque conſtitutionales ſuſpenſos & irregulares eſſe: certum eſt inſuper illos omnes his vinculis hodiedum innodatos manere.

II. Fatemur, ſummum Pontificem terruiſſe minis, alterius longe Gravioris pœnæ infligendæ, ſcilicet excommunicationis: verum principio dicimus, id a vobis absque fundamento affirmari, ſummum Pontificem a propoſito deſtitiſſe; cum adhuc incertum ſit utrum a propoſito excommunicationis ferendæ omnino deſtiterit, vel hanc pœnam, tempore præfixo non inflixerit, inde tantum ſequitur, illum excommunicationis ſententiam non tuliſſe tempore, quo minatus fuerat: unde ſupponendo, ſummum Pontificem hodie gladio excommunicationis eos ab Eccleſiæ corpore præſcindere, hæc propoſitio accurata foret: *ſummus Pontifex excommunicationis pœnam inflixit, ſicut minatus eſt, ſed non tempore, quo minatus fuerat.* Quod quidem apprime intelliget, quicumque logices regulas capit; duplicem enim propoſitionem in minis ſummi Pontificis deprehendit; unam ſcilicet generalem, quæ huic æquivalet, *vos excommunicabo*; alteram, *ego vos excommunicabo intra tale temporis ſpatium.*

Quare autem præfixo tempore lata non fuerit excommunicationis ſententia & quid inde ſequatur, nunc expendamus.

Sententiam non tulit ſummus Pontifex,

I. quia noverat ipſe, quemadmodum norunt omnes catholici, ſanctæ ſedis apoſtolicæ decretum, ex dilatione pœnæ, non infirmari.

II. Quia

II. Quis intellexerit, ſe ſuam ſuum, ſcilicet majus Eccleſiæ bonum, felicius tutiusque eſſe affecaturum.

Non infirmatur ſanctæ ſedis decretum. Unde enim vim ſuam exerit ſedis apoſtolicæ decretum dogmaticum, ab Eccleſiæ acceptatum? ex autoritate Eccleſiæ, in cognoſcendis fidei & morum cauſis, infallibili: ex ipſius unitate & conſenſione, qua declaratur tale judicium: jam vero, ſive huic judicio expreſſe contra contumaces annectantur pœnæ canonicæ, vel non; ſive etiam pœnæ canonicæ, quas rebellibus minatur ſummus Pontifex differantur ſive ſuo tempore ferantur, eamdem vim idemque robur ſervat judicium dogmaticum: quarenam? quia in tali decreto duo ſunt diſtinguenda;

I. declaratio fidei, cui talis error adverſatur.

II. Pœnæ quibus plectendi ſunt rebelles, ut ad ſanam doctrinam revocentur, aut ſi pertinaces maneant, a corpore Eccleſiæ præſcindantur, ne alii erroris contagio pereant.

Etenim Pœnæ canonicæ more remediorum adhibentur: de natura autem remedii eſt, ut non generaliter, non ſemper, non eodem modo, non eodem tempore adhibeatur, ſed tantum, quando ſpectatis omnibus perſonarum locorum, temporum circumſtantiis major fructus ex illius uſu ſperatur; omittatur vero, ſi iiſdem circumſtantiis prudenter perpenſis majus malum timeatur, unde ſuperiorum ſapientiæ relinquitur, ut pœnam aut ferant aut rela-

xent

xent aut differant, prout [illegible] arbitrantur, hanc aut illam agendi rationem, ad meliorem pejoremve effectum ſucceſſuram eſſe.

Hiſce principiis fretus ſummus Pontifex, cujus caritas tam patiens & benigna eſt, ut tamdiu omnia ſufferat, & ſuſtineat, quamdiu aliqua ſpes remanet, ut per manſuetudinem malo occuratur, omnia undequaque parte in ſanctuarii lancibus perpendit: videns autem ſe per ſolas excommunicationis minas, tam uberes fructus percipiſſe, ut intruſi, jurati Sacerdotes, eorumque aſſeclæ ſuos errores ejurantes catervatim in ovile redirent, a ferenda excommunicationis ſententia abſtinuit, eoque libentius, ut certa ipſi ſpes affulſerit, majorem ſegetem adhuc percipiendi: utrum autem Prudentiam Petri ſpes ſua fefellerit? Ego tacebo: at reſpondeat fama, hiſtoria, monumentaque publica?

Conclusio prioris partis.

Ea, quæ jam dicta fuere, ſummatim repetamus: in definiendis fidei & morum cauſis Eccleſia diſperſa æque ſit infallibilis perinde ac collecta in conciliis generalibus: ibi autem eſt verum diſperſæ Eccleſiæ judicium, quando ſedes apoſtolica rem definit, ejusque decretum ab Eccleſia acceptatur; jam vero tali judicio proſcripta damnataque fuit cauſa Eccleſiæ conſtitutionalis. Merito igitur concluditur, neminem poſſe cauſam hanc hodie defendere, niſi auctoritatem Eccleſiæ Chriſti ſpernat, ſalutemque ſuam gravioribus periculis committat.

PARS SECUNDA.

Propter abundantiam juris, Viri theologi, & ne ulla vobis moveatur querela, ſigillatim expendenda ſunt argumenta, quibus reſponſum veſtrum ſtabilire exiſtimatis: hæc autem omnia, nullo quidem excepto, ea, qua par eſt, fide, exponam, immo eisdem verbis, quibus a vobis proponuntur.

I. Duo a vobis conſtituta ſunt (pag. 6. 7. 8.) in quibus præcipuum cauſæ veſtræ firmamentum locatis.

Primum iſtud eſt, valorem Sacramentorum omnium non dependere a fide miniſtrorum: unde efficitis, ſacramenta omnia ab hæreticis Schiſmaticis ac impiis miniſtris quibuscumque confecta aut adminiſtrata, valida eſſe: in præſidium aſſertionis veſtræ Concilium Trident. Seſſ. 7. de Sacr. can. 12. & de Baptiſ. can. 4. appellatis.

Alterum eſt fundamentum, licitum eſſe ſacramenta recipere a malis miniſtris, quandiu ab Eccleſia tolerantur: Conſtitutioni Martini Quinti, quæ incipit, ad evitanda ſcandala, laudatis: hinc a vobis concluditur, licitum eſſe, ab Epiſcopis & Parochis intruſis in Gallia, omnia Sacramenta recipere.

Quam

Quam ruinoſa autem ſint ejuſmodi fundamenta, facili negotio oſtenditur.

De Primo. Pro certo quidem ac indubitato ponimus, virtutem & efficaciam Sacramentorum quorumdam, *non autem omnium* a Miniſtrorum fide religatam non pendere: quis inter Catholicos neſcit, duplicis generis diſtinguenda eſſe Sacramenta novæ legis quoad validam ipſorum adminiſtrationem; alia quæ *poteſtatem ordinis tantum* in miniſtris requirunt, alia autem quæ præter ordinem, legitimam Eccleſiæ jurisdictionem exigunt, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ, quod non ſolum ab hæreticis manifeſtis & excommunicatis vitandis vallde adminiſtrari non poteſt, præter caſum mortis, ſed etiam ab omnibus ſacerdotibus qui jurisdictione Eccleſiæ carent, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi & perſuaſione, de qua concilia diſerte teſtantur; quod autem infra commodius demonſtrabitur, cum quæſtionem de jurisdictione ad abſolvendum neceſſaria tractabimus.

Interea id monitos vos eſſe velim, quod nunquam ex Concilio Tridentino comprobabitur, *omnia* Sacramenta, ſi a hæreticis Schiſmaticisque conficiantur, valida eſſe: cum Patres Tridentini de Baptiſmo tantummodo id declaraverint.

De ſecundo Fundamento, licitum eſſe, ex bulla Martini V. Sacramenta recipere a malis miniſtris, quamdiu ab Eccleſia tolerantur, facilis eſt & expedita defenſio: ipſam autem breviter proponam, poſt

quam bullam Martini V. propriis verbis exaratam retulero.

BULLA MARTINI V.

„Ad evitanda ſcandala & multa pericula, quae con„ſcientiis timoratis contingere poſſunt, Chriſti fide„libus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, „quod nemo deinceps a communione alicujus, Sacra„mentorum adminiſtratione vel receptione, aut aliis „quibuscumque divinis intus & extra, prætextu cu„juscumque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, a jure „vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur ab„ſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ec„cleſiaſticum obſervare, niſi ſententia aut cenſura „hujusmodi fuerit lata contra perſonam, collegium, „univerſitatem, Eccleſiæ communitatem vel locum „certum, vel certam, a judice publicata, vel de„nunciata ſpecialiter & expreſſe, conſtitutionibus „apoſtolicis & aliis in contrarium facientibus non „obſtantibus quibuscumque."

Verba ſequentia in Conſilio Baſileenſi addita fuere. „Per hoc tamen hujusmodi Excommunicatos, „ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos, non inten„dit in aliquo relevare nec eis quomodolibet ſuf„fragari."

Ut ſenſus hujusce bullæ omnibus innoteſcat, duo ſunt obſervanda: 1um eſt, quod juxta veteris canonici juris diſciplinam fideles tenebantur omnes quoslibet Excommunicatos, ſine ulla exceptione, vitare; alterum eſt, quod duodecimo ſæculo & ſequen-

quentibus ſæculis, ita frequentiæ fuerint Excommunicationum ſententiæ, ſive a jure, ſive ab homine, ut excommunicatorum vitandorum neceſſitas, omnium fidelium animos in anxietates & ſcrupulos conjiceret. Hinc Martinus V. ut his incommodis occurreret, veteris juris rigorem hacce bulla temperavit, in qua fidelibus miſericorditer indulget, quod nemo excommunicatos ab Eccleſia toleratos vitare teneatur. Hinc duplicis generis diſtincti fuerunt Excommunicati: alii tolerati ab Eccleſia, alii non tolerati. Excommunicati tolerati ſunt ii, qui non fuerunt nominatim & expreſſe coram populo denuntiati tamquam excommunicati, quamvis in excommunicationem inciderint, propterea quod peccatum, cui annexa eſt excommunicationis pœna admiſerint, vel etiam quamvis declarati fuerint per ſententiam judicis Eccleſiaſtici tanquam excommunicati: Excommunicati autem non tolerati, ſunt ii, qui, poſtquam declarati fuerunt excommunicati per judicis ſententiam, publice & nominatim denuntiati ſunt tanquam excommunicati.

Itaque fatentur omnes theologi, quod juxta tenorem bullæ Martini V. nemo teneatur vi Cenſurarum, de quibus mentio fit, abſtinere a communione miniſtrorum Eccleſiæ in adminiſtratione, vel receptione Sacramentorum ſub prætextu cujuscumque ſententiæ aut cenſuræ eccleſiaſticæ ſeu ſuſpenſionis aut prohibitionis ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio vel cenſura hujusmodi fuerit contra ipſos a judice publicata vel ſpecialiter & expreſſe denuntiata. Verum non excludit ſummus Pontifex alios titulos, quibus

vitandi ſunt miniſtri hæretici, verbi gratia, ſi periculum ſit everſiónis fidelium, vel ſi inde ſcandalum oriatur.

Itaque rogo, quid ex hac conſtitutione in favorem Epiſcoporum, Paſtorumque intruſorum in Gallia concludi poſſit?

Nihil profecto minus: res eſt enim in aperto à quia loquitur Martinus de *miniſtris Eccleſia*, qui quamvis cenſura aliqua generaliter innodati, habent tamen adhuc legitimam Eccleſiæ miſſionem & jurisdictionem; qua miſſione & jurisdictione non penitus deſtituuntur, niſi quando ſententia judicis lata expreſſe promulgata excommunicati ſunt; tunc autem & non antea ipſi ſunt excommunicati vitandi, & ab ipſo Eccleſiæ corpore præciſi: numquam autem alio ſenſu bulla Martini V. in Eccleſia fuit intellecta, neque etiam cum aliqua bona fide aliter poteſt intelligi: enimvero qua fronte propugnaretur, legem hanc, cujus unicus & præcipuus eſt finis, ut vitentur ſcandala & conſcientiis timoratis ſubveniatur, ad perniciem excidiumque animarum in univerſa Chriſti grege ſancitam fuiſſe: quæ quidem pernicies inevitabilis eſſet, non ſolum ſi ad Pſeudo - Epiſcopos & Pſeudopaſtores extenderetur, (quo nihil abſurdius excogitari poteſt) ſed etiam, ſi de paſtoribus Eccleſiæ, excommunicatis toleratis intellecta, alia deduceretur in praxi ſententia, quam hæc accurata ſaniorum theologorum doctrina, videlicet, quod, extra caſum extremæ aut ſaltem graviſſimæ neceſſitatis, non licet petere nec accipere Sacramenta a miniſtro excommunicato tole-

tolerato, aperte errorem aliquem ab Eccleſia damnatum profitente; quis enim non ſentiat, quod alioquin ſcandalum, periculumque perverſionis fidelium ineluctabile crearetur, errorique conciliaretur auctoritas. Itaque nullo modo bullæ Martini V. derogavit ſummus Pontifex Pius VI., quando juſſit, ut vitarentur Epiſcopi & Paſtores conſtitutionales, quamvis nondum à corpore Eccleſiæ præciſi: merito enim verebatur, ne populorum fidem everterent. Hoc autem argumento diluendo ſatis dixiſſe mihi videor. Ad alterum argumenti genus progrediamur.

II. Affirmatis, Doctores theologi, validas eſſe abſolutiones collatas à Sacerdotibus, qui jurisdictione Eccleſiæ carent, jurisdictionemque reputatam eſſe neceſſariam, non ut valide, ſed ut licite legitimeque tantum & recti ordinis ſervandi cauſa abſolvat Sacerdos; demum plurima hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta citatis, quæ à vobis appellantur luculenta monumenta. Pag. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Hæc autem facile refelluntur: & certe ignorari nequit, quod ad abſolvendum valide, præter ordinis poteſtatem requiratur etiam in Sacerdote jurisdictionis poteſtas; & quamvis in ordinatione Presbiteris detur abſolvendi poteſtas: nulli tamen tunc eis aſſignantur ſubditi, in quos poteſtatem illam exerceant; quis ignoret, ſubditos presbiteris aſſignari tantum, cum eis ab Eccleſia datur jurisdictio, aut ordinaria per collationem beneficii, cui incumbit animarum cura, aut delegata per approbationem ordinarii? quis denique neſciat, ſemper in Eccleſia

 Dei

Dei perſuaſum fuiſſe, ratum atque confirmatum, neceſſariam eſſe jurisdictionem, ut Sacerdos valide abſolvere poſſit. Hæc ſunt tractatus pœnitentiæ rudimenta, quæ a nemine ignorantur.

Probatur, jurisdictionem eſſe neceſſariam ut Sacerdos valide abſolvat,

Quoniam autem vos, Catholicam hanc veritatem in dubium revocatis, neceſſum eſt, ipſam ſuis argumentis confirmare.

Veritatem illam expreſſe docet Concilium Tridentinum, & quidem verbis tam apertis, ut nulla evaſione poſſit eludi atque infirmari: *quoniam igitur,* aiunt Patres tridentini, *natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos tantum feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet jurisdictionem.* Seſſ. 14. cap. 7. & in Seſſ. 23. *Quamvis presbiteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant: decernit tamen ſacroſancta Synodus, nullum, etiam regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur & approbationem obtineat;* & in Seſſ. 14. can. 11. *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam; atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quominus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat, anathema ſit.*

His

His igitur tridentini concilii principiis & decretis quatuor hæc, Doctores theologi, edocemur.

Imum Argumentum. I. Semper in Eccleſia Dei ſuiſſe perſuaſum & veriſſimum eſſe, in ſacerdote, præter ordinis poteſtatem, requiri etiam poteſtatem juriſdictionis ad abſolvendum valide, cum declarent Patres, abſolutionem a Presbiteris juriſdictione carentibus datam nullius momenti eſſe: ergo veritas illa ſemper in Eccleſia Dei credita fuit, ſemper cuſtodita, ſemper ſervata virtute traditionis, quæ una & eadem eſt: ergo non aliam doctrinam tradidit concilium, quam doctrinam apoſtolorum, doctrinam omnium temporum, omnium Eccleſiarum, doctrinam unitate conſenſioneque totius Eccleſiæ firmatam, & conſequenter doctrinam ſemper inexpugnabilem, *victricemque*, (ut Alexandri Patriarchæ Alexandrini verbis utar) *omnis impiæ diverſa ſententium rebellionis.* Jam vero doctrina, quæ conſpirat, cum ea, quæ viva voce a temporibus apoſtolorum conſtanter prædicata, retentaque fuit, *veritati deputanda eſt,* ut ait Tertulianus; *omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam eſſe conſtat, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum.*

IIum Argumentum. II. Edocemur quoque, poteſtatem juriſdictionis a poteſtate ordinis, in Sacerdote eſſe diſtinctam & ita diſtinctam, ut ſacerdotes juriſdictionis poteſtate carentes, valide abſolvere non poſſint; idque fit, non tantum per accidens, ob male diſpoſitum pœnitentem; ſed per ſe, ob defectum alicujus rei neceſſariæ ex parte ipſius miniſtri. Enimvero,

 quan-

quando pronuntiant Patres tridentini; abſolutionem a ſacerdotibus jurisdictionis poteſtate carentibus nullius eſſe momenti, unum ſupponunt, nimirum aliquos ſacerdotes poſſe in foro pœnitentiæ carere omni jurisdictione, & aliud docent, ſcilicet abſolutionem ab eis datam nullius eſſe momenti, & conſequenter eſſe per ſe nullam invalidamque ex impotentia abſolventis.

IIIum Argumentum. III. Edocemur etiam, hanc jurisdictionis poteſtatem ad valide abſolvendum neceſſariam in nullo ſacerdote eſſe, niſi in illis, quibus ipſa datur ab Eccleſia, atque ita eſſe neceſſariam, ut Concilium anathemate perculerit eos, qui dicunt, *Caſuum reſervationem non prohibere, quominus ſacerdos a reſervatis vere abſolvat.* Jam vero ſi quisque ſacerdos vi ſolius ordinationis abſolvendi poteſtatem haberet, jam tunc abſolveret valide, quamvis illicite; verum ſub pœna anathematis dicere vetat Concilium, ſacerdotem vi ordinis vere & valide abſolvere: Ergo inconcuſſum manet, ſacerdoti non ſufficere ordinis poteſtatem, ut abſolvat valide, ſed neceſſariam eſſe jurisdictionis poteſtatem.

IVum Argumentum. IV. Denique edocemur, Pœnitentiæ Sacramentum eſſentialiter eſſe judicium, ac proinde in ejus miniſtro neceſſario requiri ea omnia, quæ ſunt de ratione judicii veri. Quis autem dubitet, quin de ratione judicii ſit, ut judex jurisdictionem habeat: nemo enim ſententiam ferre poteſt niſi in ſubditos, ſubditique Presbiteris dumtaxat aſſignantur, cum iis ab Eccleſia datur juris-

diĉtionis poteſtas: quod quidem ut melius percipiatur, vere mihi hoc videor eſſe dicturus, ſi ſub duplici reſpectu conſideretur abſolutio, 1mo. tanquam actus efficaciter ſanctificans hominem & hoc ſenſu ipſa eſt per ſe a poteſtate ordinis. 2do. Tanquam juridica ſententiæ prolatio, cum non poſſit ſacerdos abſolvere valide, niſi utramque habeat poteſtatem. Hinc neceſſum, eſt ut abſolutio ab utraque poteſtate procedat.

Ne quis autem ſuſpicetur, novas a Concilio tridentino conſtitutas fuiſſe regulas de jurisdictione neceſſaria in Presbitero, ut valide abſolvat, præter hujusce Concilii autoritatem, contra quam in materia fidei nullus catholicus inficias ibit, diſerta & antiquiſſima traditionis proferamus teſtimonia.

Doctrinam hanc invicte demonſtrat & aſtruit Celeberrimum Eugenii IV. decretum ad Armenos ab univerſali Florentino Concilio approbatum, in quo hæc ſtatuuntur de Sacramento pœnitentiæ: *Miniſter hujus ſacramenti eſt ſacerdos, habens autoritatem abſolvendi vel ordinariam vel ex commiſſione.* Doctrinam eamdem docuere

Concilium Ticinenſe anno 850. can. 7. *reconciliatio vero pœnitentium, juxta antiquorum canonum inſtituta, non a presbiteris, ſed ab epiſcopis fieri debet, niſi forte quis in periculo fuerit conſtitutus, & reconciliari ſe devote petierit. Si Epiſcopus abſens fuerit, debet utique presbiter conſulere & ſic pœnitentem ejus præcepto reconciliare.*

Concilium Hiſpalenſe ſecundum anno 619. can. 7. *nec licere presbiteris, pœnitentes ſine præcepto ſuâ Epiſcopi reconciliare.*

Concilium Carthaginenſe tertium anno 397. can. 32. *ut presbiter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo & neceſſitate cogente.*

Concilium Carthaginenſe ſecundum anno 390. can. 4. *Epiſcopus* Genethlius dixit: *ſi quisquam in periculo fuerit conſtitutus & ſe reconciliari divinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique presbiter conſulere Epiſcopum & ſic periclitantem reconciliare ejus præcepto . . . quam rem debemus ſalubri concilio corroborare. Ab univerſis epiſcopis dictum eſt, placet, quod ſanctitas veſtra neceſſario nos inſtituere dignata eſt.*

Concilium Eliberitanum anno 301. can. 32. *apud Presbiterum, ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed potius apud Epiſcopum: cogente tamen infirmitate neceſſe eſt, presbiterum Communionem præſtare debere.*

Doctrinam eamdem docet Schola theologorum. Unum S. Thomam laudare ſufficiat: *In pœnitentia, inquit, non imprimitur character nec effectus, niſi juſtificatio pœnitentis: quod non poteſt fieri niſi per poteſtatem judicativam: non habens autem curam animarum, non habet hanc poteſtatem;* quolibet XII. Art., 5.

Verum quid plura, Doctores theologi, vos ad certamen provocare juvat? Cedo victumque me fateor, ſi in annalibus Eccleſiaſticis & in tanta annorum ſerie, ne unum quidem teſtimonium depuntietis, quo conſtet, ſacerdotes vi ordinis ſolius & ſine juriſdictionis poteſtate, pœnitentes valide abſolvere potuiſſe.

Nunc diſcutienda veniunt facta, quæ a vobis citantur pag. 9. 10. 11. 12. 13. de Concilio Niceno, Romano, Arelatenſi, & Alexandrino anno 362, quibus a genuino ſenſu detortis, opinionem veſtram propugnare nitimini.

Ordiamur a Concilio Niceno: pauca autem dicenda ſunt de Concilio Romano, Arelatenſi & Alexandrino: cum enim eadem ſit argumentandi ratio, eadem quoque erit reſponſio.

Juxta vos, *propoſita fuit in Concilio Nicæno I. quæſtio: an Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus, clerici ſi fuerint, in ordine Eccleſiaſtico perſiſtere liceat? ſtatuerunt Patres, viſum eſt autem ſancta magnæ ſynodo, ut impoſitis manibus ſic in clero permaneant*: porro non in actis Concilii legitur, iteratas fuiſſe abſolutiones a presbiteris novatianis tempore ſchiſmatis collatas: ergo Patres Niceni illas abſolutiones validas judicaverunt: idem a vobis fertur judicium de Concilio Romano & Arelatenſi relative ad Donatiſtas, & de Concilio Alexandrino.

Egregia ſane, Doctores theologi argumentatio! Eccui enim probatum iri ſperatis, quod Patres Ni-

ceni, qui unicam hanc quæſtionem tractandam ſuſceperant, an clerici Novatiani redeuntes in Eccleſiam in ſuo Eccleſiaſtico ordine eſſent recipiendi nec ne, eo ipſo judicent, validas fuiſſe abſolutiones datas tempore Schiſmatis a presbiteris Novatianis, quia clericis hæreticis miſericorditer indulgent, ſtatuendo, illos in clero impoſitis manibus eſſe permanſuros?

De qua re autem agebatur? de hac quæſtione tantummodo: utrum cleri Novatiani in clero & in ordine ſuo eſſent permanſuri, ſi ſuam hæreſim ejurarent: jam vero Patres Niceni leges Eccleſiæ pro hac vice temperantes, agenteſque quaſi diſpenſatorie *pro remedio ac neceſſitate* temporis, ut ait Innocentius I, ſtatuerunt, clericos Novatianos in clero eſſe permanſuros: quibus autem conditionibus hæc peculiaris indulgentia adhibita fuit? de his omnino tacetis, ego vero non tacebo. Decreverunt Patres Niceni, ut omnes ſuam hæreſim, ſchiſmaque ſcripto ejurarent, profiterenturque, quod catholicæ & apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant & ſequantur: inſuper decreverunt, ut Eccleſias occupatas abdicarent, easque Epiſcopis legitimis dimitterent, *ne*, inquiunt, *in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*.

Ergo de admiſſione presbiterorum Novatianorum in clero agebatur, non autem de reconciliatione fidelium, qui Schiſmati adhæſerant: idem dicatur de Con. Arelat. Rom. & Alexandrino.

III. Ad 3um argumenti genus pergamus, quo declaratur, Epiſcopos & ſacerdotes Conſtitutionales,

qui Eccleſias Cathedrales & Parochias occupant (legitimis Epiſcopis & paſtoribus in exilium actis) eſſe veros legitimosque animarum paſtores, quando quidem nec hæretici ſunt, nec ſchiſmatici, neque intruſi. Sic vos pag. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Priusquam his tam generaliter objectis faciam ſatis, obſervabo, Doctores theologi, illos omnes, a ſummo Pontifice, tanquam hæreticos ſchiſmaticos & intruſos, fuiſſe damnatos: addam inſuper centies hæc omnia accurate copioſeque a pluribus annis fuiſſe diſputata: quippe neminem latent præſtantiſſima Præſulum Gallicanorum ad populos documenta, in quibus concordi totius Eccleſiæ Gallicanæ conſenſione damnantur principia conſtitutionis cleri, moreque Athanaſiorum, Auguſtinorum vera fides eccleſiæ contra conſtitutionalem Eccleſiam non modo inſtruitur, ſtabilitur, roboraturque invicta animi conſtantia (omnes enim Epiſcopi usque ad effuſionem ſanguinis reſtiterunt) ſed etiam ita dilucide exponitur, ut rudiſſimus quisque ipſam facile perſpiciat ac intelligat. Neminem latent numeroſiſſima virorum Doctiſſimorum ſcripta, quæ ab anno 1791 tum Pariſiis, tum in cæteris Galliæ urbibus typis edita fuere: neminem denique latent ſolemnes illæ Cleri declarationes, in quibus & fere omnes Eccleſiarum cathedralium canonici & Parochi quoad maximam partem, veſtigiis ſuorum præſulum inſiſtentes, ut filii, qui premunt patrum ſuorum greſſus, ne in fide titubent, alta voce profitentur, ſe horreſcere indignabundos ad nomen conſtitutionis Cleri, a Canonico totius Eccleſiæ judicio damnatæ: numquam e me-

moriæ excidet immenſa illa Martyrum Gallicanorum primis diebus Septembris 1792 turba, inter quos quatuor computantur Præſules, qui propter Chriſti fidem & ob denegatam Eccleſiæ Conſtitutionali adhæſionem cruenta cæde mactati fuere: peribunt omnes, qui ampliſſimis monumentis nomen ſuum conſecrant, antequam e memoria hominum excidant innumeri illi fidei confeſſores de *Rupefortio*, ex quolibet ordine cleri, juvenes, ſenes, in voraginibus marium præcipitandi, ex omnibus Galliarum partibus violenter acti, de civitate in civitatem, de pago in pagum, de carcere in carcerem transportati, fere ubique a militibus tanquam a leopardibus, ut novi Ignatii vexati; tandem ad *Rupefortium* perducti, in anguſtiſſimo, tenebroſo, fœtidoque navis ergaſtulo cumulatim congeſti ad numerum *octingentorum*, ibique per ſex menſes, famem, ſitim, nuditatem, vigilias, plagas, omniaque tormenta experti, quotidie morientes, quotidie egregie fidem Eccleſiæ profitentes, Eccleſiæque conſtitutionali abrenuntiantes; demum in Patriam dimiſſi, ſpe doloſa allecti, ſibi fas fore in ſedibus paternis reliquos & nimium luctuoſos peragere dies, denuo coacti carceres iterum convenire; ubi bonum certamen contra Eccleſiam conſtitutionalem certantes, fidemque chriſti ſervantes, curſum conſummant expectantes coronam juſtitiæ, quam reddet illis juſtus judex; *o egregios illos veritatis vindices & aſſertores, qui propter veritatem impugnatam a Patronis Eccleſiæ Conſtitutionalis ſeſe tradunt jugulandos!*

Mar-

Martyrum conſtantia omnium difficultatum ſolutio.

Verum cum hæc omnia ignorare ſimulatis, Doctores theologi, eademque argumenta in patrocinium Eccleſiæ conſtitutionalis de novo recuditis, ipſa quoque de novo diluenda ſunt.

I. Epiſcopi & ſacerdotes conſtitutionales non ſunt hæretici, in nullum errorem fidei catholicæ oppoſitum deflexerunt. Sic arguitis Pag. 15. 16. 17.

Fateor equidem, illos nondum eſſe hæreticos ut ab eccleſia denuntiatos, id eſt, nondum ab ipſo Eccleſiæ corpore præciſos: verum conſtanter affirmabo, illos ſinceram veramque Eccleſiæ fidem non tenere, & ut tales hæreticos eſſe pronuntiabo: conſtanter affirmabo, illos adverſari dogmatico totius Eccleſiæ judicio, quo damnantur, & ut tales hæreticos eſſe, contentiori voce inclamabo.

Enimvero anne ſinceram Chriſti fidem tenent, qui negant Eccleſiæ poteſtatem condendi canones, quibus regantur Eccleſiæ miniſtri & fideles in ordine religionis; inſtituendi ſuos miniſtros, aut eos deſtituendi juxta canonicas regulas, poteſtatem, inquam, in ordine fidei & morum nulli poteſtati terrenæ obnoxiam, quam Chriſtus apoſtolis dedit eorumque ſucceſſoribus: ſic olim ſentiebat Lutherus peſſimique ejus aſſeclæ: verum ſi tanta nefanda ſentire non ſit hæreticum, neſcio quid ſit hæreſis?

Anne veram Eccleſiæ fidem tenent, qui negant Romanum Pontificem Primatum jurisdictionis in tota Eccleſia obtinere, illumque primatum per ſacramenti religionem abolent, reſtringendo totam cum viſibili Eccleſiæ capite communionem ad iſtud vanum honoris ſimulacrum, ut eidem tantummodo electiones Epiſcoporum nuncientur. Sic ſentiebat olim Joannes Hus. Verum ſi talia nefanda ſentire non ſit hæreticum; neſcio quid ſit hæreſis.

Anne veram Eccleſiæ fidem tenent, qui presbiteros Epiſcopis æquant, Epiſcopatumque ita extenuant, ut Epiſcopis adimatur jurisdictio & poteſtas, quicquam in ordine fidei & morum decernendi, niſi ex pluribus presbiterorum deliberantium ſuffragiis? Sic ſentiebat olim Aërius presbiter, ſic Wicleſus, ſic Marſilius de Padua. Verum ſi tanta nefanda ſentire non ſit hæreticum; neſcio quid ſit hæreſis.

Obſervandum eſt autem, quod quamvis Epiſcopi conſtitutionales in conciliabulo ſuo duos iſtos poſtremos errores retractare viſi fuerint; nihilominus tamen in eodem rebellionis ſtatu adverſus Eccleſiam remanent, vitiisque non minoribus laborat cleri conſtitutio, cui ſub religione ſacramenti ſeſe obſtrinxerunt, quæque Eccleſiæ Conſtitutionalis eſt fundamentum. Deinde ſi ſummi Pontificis primatum dictis agnoſcunt, factis illum negant, cum ejus decretis obedire detrectant: quicquid ergo dixerint egerintve in ſuo conciliabulo, numquam præterita deleverunt, neque ad pacem Eccleſiæ Chriſti ſeſe præparaverunt.

Mitte

Mitto bene multos errores, quibus ſcaturit, pullulatque Conſtitutio cleri, quosque ſub religione ſacramenti defendit Eccleſia conſtitutionalis. Haec ſatis. Ad 2am Argumenti partem deveniamus.

II. Epiſcopi ſacerdotesque conſtitutionales ſchismatici non ſunt, adhærent quippe ſummo Eccleſiæ capiti, Pontifici Romano, & ſi *legitimis* epiſcopis non adhærent, id ipſis vitio aut culpæ verti minime poteſt. Sic vos arguitis p. 16. 17. 18.

Scio equidem, iſta quotidie ab Epiſcopis parochisque conſtitutionalibus prædicari: non puduiſſe illos, tam ineptas criminationes toties iteratas renovare. O nefarii Romani Pontificis Gallicanorumque præſulum deriſores qui non theologicis monumentis, ſed acerrimis ludibrii & irriſionis morſibus revinci deberent! Quaſi vero primatus jurisdictionis, qui jure divino Romano Pontifici competit, per litteras Electionum nuntiatorias, vel per emiſſam fidei tridentinæ profeſſionem adſtrueretur? quaſi vero Epiſcopi conſtitutionales, ſedes epiſcopales non occuparent contra Eccleſiæ auctoritatem, renitentibusque legitimis earum ſedium Epiſcopis.

Non is ſum tamen, qui velim nec illos nec vos irriſu in contemptum adducere: urbaniorem ſcribendi rationem ſuſcepi, me quoque tenet ſpes & illorum & veſtræ retractationis, quam quidem numquam deponam. Oſtendendum eſt igitur momentis theologicis, Epiſcopos ſacerdotesque conſtitutionales eſſe ſchismaticos.

Quia

Quid eſt ſchiſma?

Schiſma juxta omnes theologos, unitatis Eccleſiaſticæ diviſio eſt. Hac autem definitione conſtituta rem noſtram ſic breviter expedio.

Epiſcopi ſacerdoteſque conſtitutionales Eccleſiæ catholicæ romanæ unitatem ſcindunt; ejusdem Eccleſiæ apoſtolicitatem in miniſterio diſrumpunt; miniſterium novum abſque miſſione & jurisdictione apoſtolica erigunt, communionemque cum viſibili Eccleſiæ capite non amplius retinent, neque cum aliis legitimis paſtoribus.

Quot & quanti ſchiſmatis Eccleſiæ conſtitutionalis Characteres?

I.

Imus ſchiſmatis Character. Scinditur unitas Eccleſiæ.

Catholicæ Eccleſiæ unitas ſcinditur. Enimvero unitas Eccleſiæ neceſſario requirit unitatem miniſterii paſtoralis. In Eccleſia Chriſti duplex non adeſt neo adeſſe poteſt miniſterium: unicus eſt Epiſcopatus, quemadmodum una eſt Eccleſia: una autem eſt eccleſia, quia unicus eſt atque indiviſus Epiſcopatus, unum regimen, unum caput. Una eſt Eccleſia Chriſti, quamvis per totum orbem in multa membra diviſa ſit, quia omnia membra inter ſe cum capite ſuo uniantur: unus eſt pariter Epiſcopatus, quamvis Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate ſit diffuſus, quia Epiſcopi omnes in ſucceſſione apoſtolica ordinati per idem & unum miniſterium in unitate Eccleſiæ catholicæ conſtituuntur: omnes enim Epiſcopi (quod diligenter notari

tari velim) in uno ſunt Epiſcopo, unum ſunt, quia ſinguli ad totum corpus pertinent, ſinguli unius & ejusdem corporis partem efficiunt, ſinguli huic corpori adunantur & cum corpore ſunt adjuncti, adeoque conjuncti, tum per ſacrum unitatis Eccleſiæ vinculum, tum per dependentiam ex ordine hierarchico, ut, quod unusquisque Epiſcopus juxta canonicas regulas & in ſpiritu unitatis Eccleſiaſticæ agit, hoc & agat totus Epiſcopatus, Epiſcopatusque caput; *ideo enim*, ut præclare admodum ait Illuſtriſſimus Meldenſis Epiſcopus, *data eſt pluribus autoritas, ut ad principium unitatis catholicæ referretur.* Tanti autem ponderis eſt unitas miniſterii paſtoralis,, tanta ejus neceſſitas, ut ipſa ſublata, jam actum foret de ipſamet eccleſiæ unitate in doctrina. Jam vero nonne toti orbi Catholico notorium eſt, exploratum eſt, Epiſcopos conſtitutionales in Gallia, unum atque indiviſum Eccleſiæ catholicæ epiſcopatum diviſiſſe, unitatemque & communionem Eccleſiæ pedibus proculcaviſſe, quandoquidem contra hanc unitatem, contra hanc communionem, repugnante totius unitatis capite & centro ſede Apoſtolica, repugnantibusque legitimis Galliarum Epiſcopis, earundem Epiſcopalium ſedium facti ſunt Epiſcopi: de ſecundo ſchiſmatis charactere agamus.

II. *Adus ſchiſmatis character. Abrumpitur eccleſiæ apoſtolicitas.*

Eccleſiæ Catholicæ romanæ apoſtolicitatem abrumpunt Epiſcopi, ſacerdotesque conſtitutionales.

 Nemo

Nemo neſcit, Doctores theologi, duplicem in Eccleſia catholico-romana-adeſſe apoſtolicitatem, doctrinæ & miniſterii, id eſt, eccleſiam non aliam tenere doctrinam, quam doctrinam Apoſtolorum, non aliud exercere miniſterium, quam Apoſtolorum miniſterium: intelligitur autem per miniſterium apoſtolorum, miniſterium exercitum in Eccleſia Dei per legitimam paſtorum Eccleſiæ miſſionem, eorumdemque paſtorum ſucceſſionem a temporibus Apoſtolorum non interruptam: hinc ad miniſterii apoſtolicitatem non ſufficit, ſi quis ab epiſcopo rite conſecrato ordinis epiſcopalis characterem recipiat, requiritur ut hanc epiſcopalis ordinis poteſtatem in ſucceſſione apoſtolica recipiat, habeatque legitimam miſſionem: alioquin taliter ordinatus habebit quidem ordinem epiſcopalem, ſed nullo modo miniſterium Apoſtolicum: quarenam? quia non conſecratus fuit per autoritatem miniſterii apoſtolici & in ſucceſſione apoſtolica: ſic aſſerimus cum omnibus Eccleſiæ patribus, quorum in re præſenti concors eſt & unanimis ſententia, ſucceſſionem paſtorum, ab ipſis apoſtolis perpetuam nec interruptam, eſſe apoſtolicæ Eccleſiæ notam, et quidem ſoli eccleſiæ catholicæ propriam. Innumera ſunt patrum teſtimonia. Duo tantum laudare ſufficiat, unum ex Tertulliano alterum ex ſancto Irenæo depromptum: quo argumento contra ſuorum temporum ſchiſmaticos probat Tertullianus, Eccleſiam catholicam veram eſſe chriſti Eccleſiam, cætusque ſchiſmaticorum, cætus eſſe pſeudo-apoſtolorum cætus, adulterinos & profanos. Id nervoſe more ſuo demonſtrat per perpetuam paſtorum ſucceſſionem ab apoſtolicis usque tem-

pori-

poribus, qua ſucceſſione deſtituuntur ſchiſmatici: ipſum loquentem audiamus.

„Edant ipſi origines Eccleſiarum ſuarum, evol„vant 1) ordinem epiſcoporum ſuorum, ita per ſuc„ceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille epi„ſcopus aliquem ex apoſtolis vel apoſtolicis viris „qui tamen cum apoſtolis perſeveraverit, habuerit „autorem & anteceſſorem: hoc enim modo Eccle„ſiæ apoſtolicæ ſenſus ſuos deferunt: ſicut Smyr„næorum Eccleſia habens Policarpum a Joanne con„locatum refert; ſicut Romanorum Clementem à „Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ „exhibent, quos ab apoſtolis in Epiſcopatum con„ſtitutos apoſtolici ſeminis traduces habeant: con„fingant tale quid hæretici; quid enim illis poſt blas„phemiam illicitum eſt“ . . . . Idem argumentum premit S. Irenæus, atque catalogum Epiſcoporum romanorum, qui a S. Petro usque ad Eleutherium, qui ſuo ſedebat tempore, romanam Eccleſiam gubernarunt.

„Quoniam, inquit, valde 2) longum eſt, in hoc „tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſuc„ceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus „cognitæ, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro „& Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, „eam, quam habet, ab apoſtolis traditionem & annun„tiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſco-

 „po-

1) *De præſcript.* c. 32.
2) *Lib.* 3. *cap.* 3.

„porum pervenientem usque ad nos judicantes, „confundimus omnes eos, qui quoque modo vel per „ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcita„tem & malam ſententiam, præter quam oportet, „colligunt: ad hanc enim Eccleſiam propter potio„rem principalitatem neceſſe eſt, omnem conveni„re Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fide„les, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, con„verſata eſt, ea quæ eſt ab apoſtolis traditio.

Jam vero quis tam obcæcatus non videat, Epiſcopos, ſacerdotesque conſtitutionales nedum miniſterii apoſtolicitatem habeant, hanc apoſtolicitatem ſcindere, diſrumpere, divellere: etenim Galliarum ſedes Epiſcopales occupant: in his ſedibus ipſi non ſucceſſerunt ſucceſſoribus apoſtolorum: ſucceſſionem igitur apoſtolicam diruperunt; miniſterium igitur apoſtolorum non exercent: ergo ipſos omnes ſive Epiſcopos, ſive Paſtores intruſos merito compellamus cum Tertulliano: 3) *qui eſtis?* Gregori, & cæteri hujuſce furfuris Epiſcopi? *quando & unde* veniſtis? „quid in meo agitis, non mei? quo jure „Marcion, ſylvam meam cædis? qua licentia, Va„lentine, fontes meos transvertis? qua poteſtate, „Appelles, limites meos commovis? mea eſt poſſeſ„ſio: olim poſſideo; prior poſſideo: habeo origines „firmas ab ipſis autoribus, quorum fuit res: Ego ſum „hæres Apoſtolorum.“

Quo-

3) *De preſ, cap.* 37.

Quoniam autem ad hæc nihil reſpondere valent Gregorii nec cæteri conſtitutionales, ſtatuimus cum S. Optato Milevitano, illos omnes eſſe *filios ſine patre, diſcipulos ſine magiſtro, ſequentes ſine antecedente, paſtores ſine grege & Epiſcopos ſine populo* 4).

III.

IIIus ſchiſmatis character. Novum erigitur miniſterium abſque miſſione & jurisdictione.

IIIum. Schiſmatis characterem oſtendamus. Novum erexere miniſterium abſque miſſione & jurisdictione legitima, Epiſcopi conſtitutionales.

De fide catholica eſt, neceſſariam eſſe miſſionem, jurisdictionemque Eccleſiæ ad ſacrum exercendum miniſterium.

De fide catholica quoque eſt, unicam miſſionem, unicamque jurisdictionem ab Eccleſia admitti, ſcilicet eam & *non aliam*, quam Chriſtus ſuis apoſtolis contulit hiſce verbis, *ſicut miſit me pater & ego mitto vos:* 5) ſcilicet eam *& non aliam*, quam apoſtoli, qui ſoli immediate a Chriſto eam acceperant, epiſcopis ab eis conſtitutis tradiderunt, ipſis mandantes, ut ſucceſſoribus eam pariter traderent: ſcilicet eam *& non aliam*, quæ ſingulis ætatibus, modoque non interrupto, per viros apoſtolicos ſemper in ordinatione miniſterioque apoſtolorum conſtitutis tranſmiſſa fuit.

4) *De ſchiſm. Lib. 2.* *Joan. 20.*

Hinc omnibus perſpicuum eſt, Epiſcopos ſacerdotesque conſtitutionales, qui Eccleſias cathedrales & parochiales, loco legitimorum Epiſcoporum & Parochorum occupant, contra hanc legitimam miſſionem & jurisdictionem Eccleſiæ, contra hanc apoſtolicam ordinationem, & per autoritatem laicam factos Epiſcopos novum horrendumque miniſterium absque miſſione exercere.

„Hinc contra hos omnes decrevit Concilium „Tridentinum 6), eos qui tantummodo a populo, aut „ſæculari poteſtate ac magiſtratu vocati & inſtituti „ad hæc miniſteria aſcendunt, & qui ea propria temeritate ſibi ſumunt, non eſſe eccleſiæ miniſtros, „ſed fures & latrones per oſtium non ingreſſos, „habendos eſſe.“

„Hinc denique contra hos omnes vibratur hoc„ce ejusdem Concilii Anathema: ſi quis dixerit, eos „qui nec eccleſiaſtica & canonica poteſtate rite or„dinati nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legiti„mos eſſe verbi & Sacramentorum miniſtros, Ana„thema ſit.“ Seſſ. 23. can. 7.

IV.

4us Schiſmatis character. Communio cum S. Pontifice & cum aliis legitimis eccleſiæ

Reliquum eſt, ut quartum ſchiſmatis characterem expendamus, nimirum, Epiſcopos conſtitutionales, primatum jurisdictionis in Romano Pontifice abnuentes, cum viſibili Eccleſiæ capite communionem non retinere, neque cum aliis

6) *Seſſ. 23. de ord.*

epiſcopis abo-letur. aliis legitimis, apoſtolicisque Eccleſiæ paſtoribus.

Profitentur omnes Catholici, Romanum Pontificem, utpote viſibile totius Eccleſiæ caput, chriſtique Vicarium a chriſto domino conſtitutum in univerſa eccleſiæ ſupra cæteros Epiſcopos primatum non ſolum honoris ſed etiam jurisdictionis jure divino obtinere, profitentur pariter omnes catholici ſanctam ſedem apoſtolicam eſſe centrum unitatis & communionis Eccleſiaſticæ, cui centro omnes Eccleſiæ omnesque fideles adhærere debent; ſignumque eſſe catholicitatis certum communionem cum Eccleſia Romana, cæterarum Eccleſiarum matre ac magiſtra: denique profitentur omnes catholici, eos omnes, qui communionem cum Romano Pontifice & cum legitimis Paſtoribus per obedientiam & ſubjectionem ipſis debitam non retinent, unitatem Eccleſiaſticam deſerere, proindeque hoc ipſo eſſe ſchiſmaticos.

Jam vero quid certius, quid evidentius de epiſcopis conſtitutionalibus, ipſos non retinere communionem neque cum romano Pontifice, cujus primatum abolevere & a quo damnantur; neque cum legitimis Galliarum Præſulibus, quorum communionem excutiunt, quorum autoritati ita refragantur ut violata unitate privatos conſeſſus inſtituant, violatis Eccleſiæ cenſuris ſedes ſuas occupent, novumque & profanum exerceant miniſterium: manet igitur inconcuſſum, quatuor ſchiſmatis characteres, de qui-

quibus diſſeruimus; eccleſiæ conſtitutionali competere.

Nunc ad poſtremam argumenti partem progrediamur, namque ſola ſupereſt diluenda & quidem breviter confutabitur.

III. Aſſeritis, Doctores theologi, epiſcopos & Parochos conſtitutionales probroſo *intruſorum* nomine non eſſe traducendos, propterea quod nec vi nec metu, neque aliis malis artibus legitimos paſtores turbaverunt ſedibus, ut eaſdem occuparent, additis inſuper, Epiſcopos & paſtores legitimos (non priſtinos ut vocatis) denegato juramento ſponte ceſſiſſe loco, emigratos eſſe, edictis publicis e patria eſſe pulſos: quapropter concluditis, epiſcopos & Parochos conſtitutionales non eſſe intruſos. pag. 18. 19. 20. &c.

Pudet, Doctores theologi, & quem non puderet, iſta tam miſera referre, quæ ex impotenti obtrectandi ſtudio ad invidiam Præſulibus Paſtoribusque gallicanis conflandam, a pluribus annis inverecunde conficta ſunt. Quamvis autem centies iſta refutata fuerint, ea etiam pro ultima vice propulſabo.

Non a vobis, non a me ipſo, ſed ab Eccleſiæ Patribus, ſed ab ipſamet Eccleſia, in concilio generali congregata, quærendum eſt, quinam probroſo *intruſorum* nomine vocandi ſunt: an quæſo, tutiores teſtes hic audire poſſumus?

Audia-

Audiatur ergo Tertullianus: Intruſus eſt ille, *qui aliquem ex apoſtolicis viris non habuit auctorem & ſucceſſorem.* Quid in rem noſtram promptius?

Audiatur S. Irenæus: Intruſi ſunt illi 7) *qui non habent annumerare inter deceſſores ſuos eos, qui ab apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopis in Eccleſiis & ſucceſſores eorum usque ad ſeipſos.*

Audiatur S. Cyprianus: Intruſus eſt ille 8) *qui nemini ſuccedens & a ſe incipiens alienus eſt & profanus.*

Audiatur S. Chryſoſtomus, eoque libentius quod ad partes veſtras illum trahere tentatis, (quod quidem poſtea diligenter conſiderabimus). Intruſus eſt ille 9), *qui epiſcopo catholico vivente Eccleſiæ thronum invadit.*

Audiatur Demum Eccleſia in Concilio Tridentino congregata: „Intruſus fur & latro eſt qui per „oſtium non eſt ingreſſus, qui nec ab Eccleſiaſtica „& canonica poteſtate rite ordinatus eſt, ſed aliunde venit, qui tantummodo a populo aut ſæculari „poteſtate ac magiſtratu vocatus & inſtitutus ad mi„niſterium Eccleſiæ aſcendit 10).

D 5 Ergo

7) *Lib. 3. adv. hær. c. 3.*

8) *Epiſt. 76. Magneſ.*

9) *Epiſt. 125.*

10) *Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. 7.*

Ergo ſtemus ſententiis patrum Eccleſiæ, qui deſinitionibus, probroſo *intruſorum* nomine traducendi ſunt, quicumque in miniſterio ſacro nemini ſuccedunt, a ſe ipſis incipiunt, Epiſcopo Catholico vivente Eccleſiæ thronum invadunt, nullumque ex apoſtolicis viris habent auctorem, a ſæculari que poteſtate ad miniſterium Eccleſiæ vocantur & inſtituuntur: jam vero res eſt nemini ignota, Epiſcopos Parochosque conſtitutionales, de quibus dixi, a ſe ipſis incepiſſe, ipſos nullum ex apoſtolicis viris habere autorem, ipſos legitimis Galliarum Epiſcopis paſtoribusque viventibus Eccleſias cathedrales parochialesque invaſiſſe; ergo *Probroſo intruſorum nomine* ipſi præſigendi ſunt, ergo ut tales univerſo orbi Chriſtiano denuntiandi ſunt, & ſi quod aliud ſignificantius in annalibus Eccleſiaſticis nomen uſurparetur, ego propter honorem Chriſti Eccleſiæque ſuæ & præſertim ad frangendam illorum audaciam nomen illud uſurparem & quidem non immerito: namque ut nervoſius prematur argumentum, vel epiſcopi conſtitutionales ſunt intruſi, vel illi, quos tota Catholico-romana legitimos appellat probroſo iſto nomine vocandi ſunt. Non datur medium.

Verum attendite, quæſo: illi, quorum ſedes hodie a conſtitutionalibus occupantur, rite fuerant nominati cum legitima Eccleſiæ miſſione & jurisdictione fuerant ordinati, id eſt, & ordinem Epiſcopalem in Apoſtolica ſucceſſione receperant: jam vero ſi conſtat, illos ante luctuoſa Eccleſiæ conſtitutionalis tempora fuiſſe legitimos Galliarum Epiſcopos, eodem jure conſtat, illos hodie eſſe legitimos & ut legitimos ab omnibus

nibus eſſe agnoſcendos: namque ipſi nullo Eccleſiaſtico judicio depoſiti fuere, neque ullus eſt actus ceſſionis voluntariæ ab ipſis præſtitus, neque ab Eccleſia acceptatus; neceſſaria enim foret poſtrema iſta conditio. Ergo cauſa ſua cadunt conſtitutionales Epiſcopi, ipſorumque Patroni: Ergo luce meridiana clarius eſt, illos omnes probro *intruſorum* nomine eſſe traducendos.

Quid ad hæc reponitis, Doctores theologi? fraudes, aſtutias, vitiligationes, non a vobis, ſed ab omnibus conſtitutionalibus inventas; (vos enim doli expertes exiſtimo): reponitis legitimos Epiſcopos, ab denegatum juramentum loco ſuo ceſſiſſe, emigratos eſſe, edictis publicis e patria pulſos, præſumptamque eſſe ipſorum ceſſionem?

O miſerum ſubterfugium ab autoribus ſchiſmatis & contra apertam rei evidentiam propoſitum, ad quod velut ad optatiſſimum tutiſſimumque portum omnes, repugnante etiam conſcientia, ſe receperunt; quaſi vero tria hæc fundamentalia principia a quoquam ignorari poſſint, 1. nullam in Eccleſia eſſe deſtitutionem niſi per depoſitionem vel ceſſionem voluntariam: 2. nullam Epiſcoporum depoſitionem niſi a canonico Eccleſiæ judicio fieri poſſe: 3. nullam voluntariam ceſſionem poſſe fieri niſi actum & actum ab eccleſiâ acceptatum.

Quapropter cum theologi Friburgenſes neque ullum depoſitionis aut ceſſionis actum oſtendant, concludendum eſt, præſules Gallicanos ſemper eſſe ſolos

ſolos Galliarum Præſules, conſtitutionalesque Epiſcopos probroſo *intruſorum* nomine eſſe traducendos.

Sentiant autem theologi Friburgenſes, reſpondeantque ipſi, quidquid voluerint, nihilo quidem ſit ponderoſior cauſa, quam tuentur.

Quid enim ad rem Eccleſiaſticam ordinemque hierarchicum, poteſtatemque Epiſcopalem refert, legitimos Galliarum Epiſcopos, edictis publicis exilio eſſe demandatos, eſſe emigratos?

Ipſi Athanaſiorum, Baſiliorum, Hilariorum, cæterorumque veteris Eccleſiæ præſtantiſſimorum Præſulum honorificam ſubeunt conditionem: ad eadem vocatis certamina eædem parantur Coronæ, quid plura? omnem autem effugii locum conſtitutionalibus Epiſcopis paſtoribusque præcludere placet, ſi tamen ad os occludendum viris ſchiſmatis ſtudio abreptis aliquid datur. Ab ipſis, Doctores theologi, hoc abſurdum pronuntiandum eſt, (quid enim tam pugnans cum tota hiſtoria Eccleſiaſtica) nullos unquam extitiſſe intruſos, vel ab ipſis palam concedendum eſt, ſe probroſo *intruſorum* nomine eſſe vocandos. Durum eſt, fateor, ad hæc tam inſulſa, tam inepta adigi.

IV. De poſtremo argumento, ex verbis ſancti Chryſoſtomi deducto, dicamus, Doctores theologi, nec etiam ſilentio premenda ſunt documenta illa, quæ ad Epiſcopos paſtoresque legitimos Galliarum dirigitis,

gitis, quibus admonentur omnes, rem Chriſto fore acceptam, Eccleſiæque ſalutarem, ſi populis ſuis indicent, ut epiſcopis paſtoribusque conſtitutionalibus eodem obtemperent modo, quo ſibi ipſis obtemperaverunt. Hinc concluditis, illos, ſi veſtris *Paternis monitis* locum dederint, exemplum S. Joannis Chryſoſtomi ſecuturos eſſe. pag. 24. 25. 26. 27. usque ad finem.

Ex ore veſtro non exeunt, Doctores theologi, illa documenta, ſed ex ore pſeudo-Epiſcoporum in Gallia, a quibus decepti eſtis; non ab ipſis autem, erudiendi ſunt Præſules Gallicani, quos ſpiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quique ſpiritum Chriſti habent: quænam Paterna monita ipſis liceat dare Patribus in fide, quibus imperante Chriſto, competit „*exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contra-* „*dicunt, arguere, quibus* in militia chriſti data ſunt „*arma non carnalia*, ſed potentia a Deo, ad deſtru- „ctionem munitionum, ad deſtruenda Concilia & „omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcien- „tiam Dei, ad redigendum in captivitatem omnem „intellectum in obſequium Chriſti: namque in prom- „ptu habent ulciſci *omnem inobedientiam*, id eſt, rebelles & pſeudo-apoſtolos, ut intelligit Sanctorum Patrum traditio.

Qualia autem monita? ut iis, qui aliunde quam per oſtium intraverunt, mactandas perdendasque ipſi tradant oves pretioſo chriſti ſanguine redemptas, dum clamat ſummus Pontifex omnibus legiti-

mis Paſtoribus, „*forti ac conſtanti* 1) animo eſtote „nec ab incepto diſiſtite: dum clamat idem Pontifex omnibus Galliarum catholicis, *arcete vos ab* iis, „qui Eccleſias alienas invaſerint, aut invadere adhuc molirentur, illos devitate, illos cum horrore „conſpicite: veſtros autem Epiſcopos legitimos & „paſtores diligite, eos colite obſequio, illos audite." Quandiu autem catholici ab Epiſcopis conſtitutionalibus paſtoribusque ſe arcere debent, eundem Petrum Loquentem audiatis: *Quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli, cujusmodi eſt communicationis prohibitio cum intruſis.*

Demum quid dicam de facto S. Joannis Chryſoſtomi, quod in præſidium cauſæ conſtitutionalis adducitis, ego dicam (nam non poſſum facere, quin vobis liberius ſenſum animi mei exponam) dicam, vos nequidem oculos conjeciſſe in Palladium factumque illud, qualiter a Palladio & a Domino Fleury narratur, nedum vobis inſerviat, funditus cauſam veſtram evertere.

Tria enim hæc certa ſunt & omnibus lectoribus obvia, I. S. Joannem Chryſoſtomum, dum ſucceſſori ſuo obedientiam commendabat, per hunc intellexiſſe, eum qui ſibi ſucceſſurus erat poſt mortem ſuam: II. S. Joannem Chryſoſtomum per hunc ſucceſſorem, ad cujus obedientiam hortabatur, intellexiſſe, Epiſcopum rite & canonice ordinatum in ſucceſſione apoſtolica. III. S. Joannem Chryſoſtomum, dum

1) *P.* 1.

dum eſſet in exilio, frequentiſſime per litteras populum ſuum hortatum fuiſſe, ut a communione intruſi in ſedem ſuam abſtineret; certum eſt inſuper, innumeros fideles & præſertim ſanctiſſimas fœminas, ad quas ſermonem quem objicitis, in Baſilica habuerat, vexationes cujusvis generis pertuliſſe, propterea quod intruſo communicare detrectabant: cogitate ergo, Viri Doctores, non ex Palladio, non ex Domino Fleury, bene vero ex theologia bleſenſi vel cæteris ſcriniis conſtitutionalibus hæc extraxiſtis.

En verba beati Chryſoſtomi a vobis indicata, en, idem præciſe paragraphus, & locus, quem vos vobis patrocinantem efficitis, quem ex integro recitabo. „Ingreſſus eſt S. Chryſoſtomus ad baptiſte„rium 1), atque Olimpiade, quæ Eccleſia pedem non „efferebat, Peutadia & Procla 2) Diaconiſſis, & „Sylvina Nebridii Vidua & Gildonis Filia ad ſe vo„catis ait: Venite, filiæ, audite me: ſi bene con„jicio, prope eſt finis meus; abſolvi curſum meum, „& forte non amplius videbitis faciem meam: hoc „unum a vobis peto, ut numquam pietas veſtra in „Eccleſiam algere incipiat, & poſtquam aliquis, qui „non ambierit & reluctans omnium conſenſu ordi„natus fuerit, coram eo, ſicut coram me adſuevi„ſtis, capita inclinetis: nam Eccleſia absque Epi„ſcopo eſſe non poteſt; & ſicut vultis, ut Deus ve„ſtri miſereatur, etiam mei in veſtris precibus me„mentote.“

Itaque

1) *in vita Chriſoſt.*

2) *Fleury Lib.* 21. §. 37.

Itaque Reſpondeat ipſe Chryſoſtomus.

Quare hic de alio loqueris, vir egregie, coram quo oves tuæ *caput flectere* debent ſicut coram te?

Quia, *ſi bene conjicio, prope eſt finis meus, abſolvi curſum meum, & oves meæ forte non amplius faciem meam videbunt*; cum autem *Eccleſia Dei abſque Epiſcopo eſſe non poſſit*, pronum eſt, ut *conjiciens prope eſſe finem meum*, eo ipſo conjiciam, me brevi ſucceſſorem habiturum.

Ergo, Doctores theologi, non alium Epiſcopum, qui vivente adhuc Chryſoſtomo ſedem ſuam invaſiſſet, ergo non Epiſcopum novis Galliarum epiſcopis ſimilem, hic videbitis.

Sed pateat adhuc os aureum Chryſoſtomi. Debentne oves tuæ, vir Egregie, coram epiſcopo quocumque poſt tuum finem caput inclinare?

Abſit, abſit, jam indicavi, qualis eſſe deberet ille, coram quo caput flectendum ſit; volo enim, *ut ille non ambierit, ſed ut reluctans omnium conſenſu ordinatus fuerit.*

Ergo, Doctores theologi, flectendum eſt caput coram eo tantum, qui cum *omnium conſenſu ordinatus fuerit*, ergo & cum conſenſu cleri, non autem cum conſenſu Judæorum, Hæreticorum, Atheorum, excluſo clero; ergo ſecundum vigentem tunc temporis diſciplinam; non autem contra Eccleſiæ diſci-

pli-

plinam: ergo non coram Epiſcopis Conſtitutionalibus in Gallia, caput flectendum eſt. Ergo qui Chryſoſtomum imitantur, coram legitimis Præſulibus Gallicanis caput inclinare debent.

Quanquam autem de uſurpatoribus ſedium Epiſcopalium ſuam ſententiam multis in locis ita commendaverit ſanctus Chryſoſtomus, ut nullam dubitandi cauſam relinquat; juvat etiam referre ea, quæ de Nectario ſedis ſuæ invaſore ſcripſit ad Cyriacum Epiſcopum: quæ quidem verba, omnia cujuslibet generis ſuffugia præcludunt.

„Audivi & ego de deliro illo Nectario, quem „regina in throno collocavit, quod afflixerit fratres „& virgines non volentes ſibi communicare, & quod „multi illorum propter me in carcere mortui ſunt: „nam lupus ille eſt in agnino habitu, & perſonam „gerit Epiſcopi, cum ſit adulter: nam ſicut adultera „eſt mulier, quæ vivente viro alteri ſe conjunxe„rit; ita & ille non carnalis, *ſed ſpiritualis eſt ad„ulter, qui me vivo ſedem Eccleſiæ meæ invaſit* 1).“

Quid clarius, Viri doctores? quid validius requiritur, ut veſtram hanc de S. Chryſoſtomo querimoniam penitus detulerim?

Concluſio Epiſtolæ. Poſtquam autem varia multipliciaque argumentorum genera congeſſi, tum ad vindicandam ſupremam Eccleſiæ in cognoſcendis fidei

1) *Tom. 5. Pariſina p. 856. epiſt. ad Cyriacum Epiſcopum;*

dei & morum cauſis autoritatem, tum ad refellenda ea, quæ a vobis in Præſidium cauſæ Eccleſiæ conſtitutionalis adducta fuerent, quid mihi deſiderandum ſupereſt, Doctores theologi, niſi ut vos, rem maturius & coram Domino perpendentes, a veſtra prius concepta opinione diſcedatis. Ad hunc finem felicius aſſequendum, ſi monita jungenda ſint, non a me quidem ſed a divo Gentium Apoſtolo hæc benevole audiatis.

Ipſe moneat vos ut in Doctrina ſana *potenter exhortemini*, quia *jam diu tempus advenit, cum omnis fere homines ſanam doctrinam non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria ſibi magiſtros coacervant prurientes auribus, a veritate auditum avertunt, ut ad fabulas convertantur.*

Ipſe moneat vos, ut *diu noctuque vigiletis*: niſi enim evangelici Doctores dormirent, inimicus homo in agro Domini nunquam ſeminaret.

Ipſe vos denique moneat, ut induti loricam juſtitiæ, fidei ſcuto, depoſitum cuſtodiatis: ſtant enim ex adverſo innumeræ hoſtium phalanges, quæ theſaurum ſalutis furari atque de medio Gentium tollere nituntur: furentur, ſi poſſint, Philiſthini arcam domini? hoc ſane malum grande eſt, & *væ homini illi per quem ſcandalum venit*: attamen potens eſt Deus illam, absque nobis, cum primum voluerit, ab incircumciſis liberare: Nos autem quomodo liberabimur, ſi coram ſupremo judice, illam non humeris portantes, appareamus.

Hæc

Hæc ſunt Divi Pauli monita;

Ego autem, Doctores theologi, vos obſecro, ut ſcriptum meum, non tantum ut fidei Catholicæ defenſionem ſed etiam ut ſincerum meæ erga vos benevolentiæ exiſtimationsque argumentum, benigne excipiatis.

PIUS PP. VI.

Ad Episcopum, dictum du Mont-blanc.

Dilecte fili, ſalutem & apoſtolicam Benedictionem.

Plurimum ſane paterno dolori noſtro ſolatium cupimus, cum perlegiſſemus retractationem Tuam a te ſubſcriptam, atque ad nos transmiſſam una cum litteris die 22. Februarii proxime præteriti datis, in quibus clara præbes indicia, te ab erroris ſemita ad matris Eccleſiæ gremium rediiſſe, omnesque accurate conditiones expleſſe, quæ in noſtris præſcribuntur Brevibus, atque illo præcipue diei 13. Junii 1792, in quo expreſſe mandantur ea, quæ intruſi in ſalutis viam remigrantes exequi debent, antequam ad percipiendam abſolutionis gratiam admittantur, præterea que animum hunc tuum reipſa nobis confirmaſti, dimiſſa nem-

nempe curia S. Petri *de Albigny*, in qua legitime fueras inſtitutus. Maxime in hoc tuum approbamus conſilium, quod publice conſtare, lateque per typos diffundi volueris eam retractationem, cum hunc in modum par erat, graviſſima reparari ſcandala, quæ illata in publicum erant ex tot tamque enormibus delictis, quorum te ipſe in eo folio accuſare ad majorem pœnitentiæ nunc tuæ declarationem non dubitaſti: ut hoc ſcilicet exemplo alios, aut iniquo obſtrictos jurejurando, aut intruſos, aut quomodolibet fautores aſſeclasque hodierni Schiſmatis, ad ſimiles ejurandos errores, ad Eccleſias, in quarum ſe curam intruſerunt, abdicandas, ac tandem ad revertendum in fidelium cætum, unde perfide abſceſſerant, excitares. Cum hæc a te ſincere atque ex animo non ſolum declarata, ſed etiam peracta videamus, libenter ad tuas accedimus ſublevandas neceſſitates, proptereaque Sacerdoti ad excipiendas fidelium confeſſiones approbato, a teque ipſo eligendo, facultates neceſſarias ac opportunas concedimus, te ab excommunicatione ac gra-

vibus a culpis, quarum teipſe reum agnoſcis atque accuſas ac doles, abſolvendi. Nihilo tamen minus, poſtquam eas abſolutiones obtinueris, adhuc ſuſpenſus remanere debes ab exercitio cujuscumque ordinis, nec non & irregularis, teque non niſi in communione laica tantummodo conſtitutum eſſe cenſere. Nobis vero, cum perſpexerimus, quam conſtanter te geras in tuo ſentiendi, vivendique propoſito, poſtmodum ſtatuendum erit, conveniatne, novam tibi indulgere gratiam, exercendi aliquem ordinem, legitime antea a te ſuſceptum. Atque hic, Dilecte fili, prætermittere nos paterna charitas non ſinit, ut te etiam ex intimo corde hortemur, in eo, in quem regreſſus es, fidelis vitæ curſu ſedulo ac perſeveranter inſiſtere, neque illis umquam aures præbere, qui te ſummo conantur ſtudio revocare ac retrahere ad perditionis viam, prout certe & hactenus contendiſſe & etiamnum intruſos Galliæ Epiſcopos contendere non ignoramus. Quod ſupereſt, etſi valde commendamus deſiderium tuum, ad nos Ro-

mam

mam veniendi, ac ad hæc ſanctorum apoſtolorum limina, tamen te omnino ab hoc ineundo itinere dehortamur, & tuæ tam affectæ valetudinis cauſa, & vitæ deſcriminum, quæ evitare hoc difficillimo ac periculoſiſſimo, ut optime noſti, tempore non poteris. Deum optimum Maximum precamur, ut ſua te gratia, prout jam cæpit, in Jeſu Chriſto per ſanctum ſpiritum proſequatur, foveat & cuſtodiat, tibique apoſtolicam Benedictionem, per quam illius in te miſericordiæ fructus ſemper uberiores exiſtant, ex animo ac peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die prima Junii 1796. Pontificatus noſtri anno 22.

(Signatum) *Benedictus Stay.*

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.